

# PALAESTRA

## LATINA



ANN XXXIII (Fasc. II) — N. 182  
M. JUNIO — A. MCMLXIII

# PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii **BARCINONE** edendi

**PRETIUM MITTATUR OPORTET AD ADMINISTRATOREM:**

**Lauria, 5 . Apartado 1042 - BARCELONA (10)**

**vel ad Procuratores singularum nationum**

**Scripta ad Moderatorem: Conde, 2 - Barbastro (Huesca)**

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 pesetis; in Gallia: 10 francis; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus.

PALAESTRA ADULESCENTIUM: Constat in Hispania et America Hispanica: 25 pesetis; in Gallia: 3'5 francis; in Italia: 350 libellis; in Germania: 2'5 marcis; in reliquis civitatibus: 0'80 dollaris.

Depósito Legal L - 12 1958

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

## I N D E X

ANN. XXXIII (Fasc. II) N. 182

M. JUNIO A. MCMLXIII

N. MANGEOT, S. J., <i>De Horatio Flacco</i> . . . . .	65
C. EICHENSEER, O. S. B., <i>Nova et Vetera: De telephōno et telephōnio, de telegrāpho et telegraphio</i> . . . . .	72
J. M. MIR, <i>Adnotatiunculae</i> . . . . .	77
MIR - BASILIUS, IJSEWIJN - MIR, <i>Epistularum inter socios commercium</i>	79
Fr. ALOISE, <i>De quibusdam italicis peregrinisque vocabulis latine redditis</i> . . . . .	83
<i>Collectanea: Ordinationes ad Constitutionem Apostolicam «Veterum sapientia» rite exsequendam</i> . . . . .	89
Fr. ALOISE, <i>Iohanni XXIII universali Patri et Magistro</i> . . . . .	92
<i>Epigrammata: TUSIANI; graeca: H. HUXLEY; M. CHINI - F. ALOISE.</i> . . . .	92-93
E. MARTIN, <i>In Quinquagesimum diem anniversarium Brevis Apostolici «Religiosas Familias» Carmen</i> . . . . .	94
B. FONTANINI, <i>Rejicula amoliamur</i> . . . . .	97
J. ARAMENDIA, C. M. F., <i>Per Orbem</i> . . . . .	97
BIBLIOGRAPHIA, I. González, A. Marqués, Philoponus, Latorre, . . . . .	102

### PALAESTRA ADULESCENTIUM

<i>Marin-Vindel, Ad ferias eamus Sti. Firmini</i> . . . . .	113
<i>E. Tejerina, Tres latrones, tres petasi</i> . . . . .	114
<i>M. Molina, C. M. F., Hannibal Romanorum infestissimus hostis.</i> . . . .	116
<i>N. Mangeot, Simulacrum apparet.</i> . . . . .	119
<i>M. Andrés, Ad saltum equi. — G. Ndongo, De lupi et agni amicitia</i> . . . . .	119
<i>Casals, Simón, Lladó, Casajús, Rabert, Oblectamenta.</i>	
<i>M. Molina, Asinula aegre laborat</i> . . . . .	120

# PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII  
A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

---

ANN. XXXIII (FASC. II) — N. 182

M. JUNIO

A. MCMLXIII

---

## DE HORATIO FLACCO

Prosperae fortunae beneficio accidit quod integrum Horatii opus —centum sexaginta duo carmina—, nullam temporum jacturam passum ad nos pervenit, quod neque Alcaeo neque Sappho, quos imitabatur, contigit. Cujus rei causa in eo potissimum est posita, quod carmina vivo vate in scholis legi coepta sunt. Id auctor aliquo modo praesentiebat (*Epist.* 1, 20, 17). Carmina autem vel in extremis Imperii finibus lectum et in multas versum iri linguas divinare non poterat.

Horatius hausit lucem anno sexagesimo quinto a. Chr. n. Venusiae Apuliae. Pater libertinus et, ut videtur captivus graecus, cum uxore mature mortua praediolum prope montem Vulturem exercebat. Qua in regione, silvis divite et pratis, puer inter ruricolos simplices pubescebat. Illic quoque ei ille naturae sensus animique aequitatis nascebatur, qui e multis carminum locis elucet. Pater locato praediolo Romam secessit, ut filium unicum, praeclaris naturae dotibus instructum, in omnibus, quibus tum aetatis pueri ad humanitatem informari solebant, artibus a magistro Orbilio optime erudiendum curaret. Idemque in Urbe exactoris munere fungens studiis filii attente invigilabat. Anno XXXXVI adolescentem, qui domi linguam graecam —ut est verisimile— didicerat ad absolvendam in graecis litteris ac philosophia eruditionem Athenas misit, quo nobilium Romanorum filii concedere solebant. In hoc celeberrimo omnium artium domicilio Flaccus multo doctissimorum virorum usu, assidua scriptorum graecorum lectione et romanorum condiscipulorum convictu et familiaritate non modo magnam in philosophia eruditionem sed etiam singularem est consecutus humanitatem. Ibidemque ingenium romanum cum graecis musis praeclare conjunxit.

At florida studia subito fuere abrupta. Interfecto enim Caesare Flaccus cum aliquot amicis a Bruto, interfecti adversario, inducebatur ut pro patriae libertate certaret. Nec multo post tribunus militaris factus et legioni praefec-

tus pugnae Philippensi anno XXXXII interfuit. Sed, cum exercitus fugatus esset atque duces, Brutus et Cassius, ipsi sibi necem conscivissent, reliqui, inter quos et Flaccus, fuga salutem petivere. Tum Romam reversus patre mortuo amissoque patrimonio in rerum vel necessariarum angustias est adductus — «Non domus et fundus, non aeris acervus et auri» (*Epist.* 1, 2, 41)—. Mansit autem in Urbe, calamitate non fractus, patriae amantissimus, non secutus illud Ciceronis: «Dandus est locus fortunae, cedendum ex Italia, migrandum Rhodum aut aliquo terrarum» (*Ad fam.* 11, 1, 3).

Jam quid faceret inops rerum? Ne tenui vitae condicione vexaretur, munus scribae quaestorii in aerario fiscali exercere coepit et animum ad poësin applicuit — «Paupertas impulit, audax ut versus facerem» (*Epist.* 9, 2, 51)—. Hoc autem non presse sumendum est. Solebat enim per ironiam loqui. Cum versus Romanis placerent, auctor anno XXXVIII a Vergilio et Vario, clarissimis tunc aetatis poëtis erga quos ingenua erat affectus amicitia, ad Maecenatem est introductus. Qui, nobili gente Etrusca natus, vir maximè ponderis, summe eruditus, Octaviano intimus et in rebus politicis consiliarius, florida litterarum ingenia odorari et circa se habere sciebat et omni ope ac studio adjuvabat. Qua Vergilii, Varii Maecenatisque familiaritate effectum est ut Horatius duos post Romae reditum annos superaret et se in arte poëtica haud parum valere sibi persuaderet. Ac tum orta est illa cum Maecenate amicitia, quae usque ad obitum «incorrupta fide» permansit. Atque Maecenas fautor Flaccum anno tricesimo tertio a. Chr. praediolo noto Sabino donavit — «Satis beatus unicus Sabinis» (*Carm.* 2, 2, 18)—. Per Maecenatem Augustus Flaccum propius noverat, magni faciebat et ab eo petivit, ut anno decimo septimo carmen saeculare componeret, quod redeuntibus civitatis sollemnibus in Capitolino et Apollinis templo a binis puerorum virginumque choris est cantatum.

Tum Flaccus, expeditus curis omnibus totum se nobili poësi dedit, usus nonnunquam eruditorum familiaritate amicorum, quorum saepe in carminibus facit mentionem. Quo plus aetate procedebat, eo magis otium quietemque agrestem diligebat in praediolo Sabino et postea in Tiburtino ad Anienem fluvium sito. Ideoque Maecenati identidem instanti, ut diutius Romae versaretur, respondit sese, quamvis eum plurimi aestimaret, attamen precibus non esse obsecurum — «Te per genium dextramque deosque penates obsecro et obtestor vitae me redde priori» (*Epist.* 1, 7, 94)—. Restitit eadem constantia ipsi Augusto, qui ab eo per litteras petierat ut notarii munus in se reciperet. Quod nec Maecenas nec Augustus in malam acceperunt partem, nec recusantem favore privarunt.

Fieri non poterat, quin poëta, libertini filius, ob tantorum virorum familiaritatem et favorem in multorum veniret invidiam — «Quis homo hic? Quo patre natus?» (*Sat.* 1, 6, 29)—. Ipse autem, initio quidem humilem ortum

aegre ferens, postea vero patre libertino et modesto Sabino contentus fuit. (*Carm.* 1, 20).

Cujus haec fuit corporis figura:

«Forte latus, nigros angusta fronte capillos» (*Epist.* 1, 7, 26).

«Corporis exigui, praecanum, solibus aptum,

Irasci celerem, tamen ut placabilis essem». (*Epist.* 1, 20, 24, 25).

Specie cultus:

«Quem tennes decuere togae nitidique capilli». (*Epist.* 1, 14, 32).

Dormire solebat in quartam horam (*Sat.* 1, 6, 122). Etsi sobrium vivendi genus praedicabat, nec tamen a vinis et lauta mensa abhorrebat. Erat constans in rebus arduis, modestus in secundis, liber a possidendi et gloriae cupiditate, facilis prorsus et affabilis. Uxorem non duxerat. Cessit e vita eodem quo Maecenas anno octavo a. Chr. expletis annis quinquaginta septem et sepultus juxta eum in colle Esquilino.

Quoniam hactenus de ipso homine scripsimus, jam ad vatem ipsum veniamus. Ante autem pauca praemittenda videntur. Quod Horatius perdita reipublicae libertate, amisso patrimonio, Italia continuis bellis civilibus devastata — «Altera jam teritur bellis civilibus aetas, suis et Roma viribus ruit» (*Epod.* 16, 1, 2)—, rerum licet taedio affectus, non in civitatis misere jacentis desperationem, sed in «renascentis» spem est adductus, id philosophiae Stoicae, amicitias, novae in Romam fidei et poësi, ad quam colendam se natum credebat, referri oportet.

Quadruplicis vero generis sunt ejus opera et complectuntur «iambos sive epodos» duodecim, «saturas» duodeviginti, «sermones sive epistulas» tredecim, «carmina lyrica» tria et centum. Fecit epodos intra a. 41-31, Archilochum poëtam graecum secutus — «Numeros animosque secutus, non rem» — (*Epist.* 1, 19, 24 ss.). Saturis circa annum XXX imposuit finem. Lyricorum partem priorem — libros tres — anno XXIII, alteram anno XIII dedit foras. Epistulas ab anno XV.

Adhibebant Ennius, Vergilius alique hexametrum; Tibullus, Propertius, Ovidius hexametrum et pentametrum — versus elegos —; Horatius vero metrorum genera varia. Quamquam in saturis, et epistulis hexametrum et in epodis utebatur iambo, tamen ea in veram poësin referri volebat.

..... neque enim concludere versum

Dixeris esse satis, neque siqui scribat uti nos

Sermoni propiora, putes hunc esse poëtam.

Ingenium cui sit, cui mens divinior atque os

Magna sonaturum, des nominis hujus honorem (*Sat.* 1, 4, 39 ss.).

Ipse primus «carmen Aeolium» — metra Sapphus, Alcaei aliorumque graecorum — Latio intulit. Curnam id fecit? Ecquid coërcebatur et timebat ne quae mente vivida conceperat, ea modis romanis exprimere rite non posset? Quidquid est causae, dicendum est eum venustissima genera lyrica tam saepe

adhibuisse, tam facile finxisse, graecae orationis elegantiam tam bene cum romanae robore conjunxisse, ut poësin latinam ad tantam absolutionem perfectionemque extulerit, quantam non solum aequales Romani praedicabant, sed etiam ubique terrarum posterius laudabant atque laudabunt. Difficile est dictu, quot habuerit imitatores praesertim inde a renatis litteris, quorum opera lyrica facile integram compleant bibliothecam. Ipse vates persuasum habebat sese carminibus lyricis perenne sibi posuisse monumentum.

Exegi monumentum aere perennius  
Regalique situ pyramidum altius,  
Quod non imber edax, non aquilo impotens  
Possit diruere aut innumerabilis  
Annorum series et fuga temporum.  
Non omnis moriar...

(Carm. 3, 30).

Poësis antiqua multum ab hodierna differt. Vates enim veteres multo magis arte «plastica» utebantur, adhibendo colores et formas. Animi motiones ac sensa non tam nudabant quam tegebant. —Confer exempli gratia veluti duos Sti. Ambrosii hymnos—. Res visibiles et cum animo conexas pingebant. Proinde secundum naturae legem primum facultatem excogitandi, deinde intellectum, denique sensus movebant. Hac arte Flaccus excellit. Paucis veluti lineis imaginem sive earum seriem designat ac rite ordinat.

«Quid verum atque decens curo et rogo, et omnis in hoc sum» (Epist. 1, 1, 11).

Sumit plerumque materiam ex natura, vita cotidiana, Graecorum deorumque fabulis, et quidquid ei occurrebat, ejus mobili ingenio ansam dabat. Interdum, quae intime sentiebat, ea tam aperte cantat, ut ad vates hodiernos proxime accedat (Carm. 1, 17, 22; 3, 4, 21 ss.; 3, 6, 24). Conjungere solet vere humanum cum pulchris et venustis, bona et proba cum utilibus, vitam jucundam cum serio virtutum romanarum studio. Scit quoque seria miscere jocosis. Ridet comiter stultitias humanas, tantum homines despectos acerbis cavillatur facetiis, sed, cum rei gravitate abreptus, plus aequo stomachatur, in carminis fine asperitatem delinit (Carm. 2, 1; 3, 3). Sive docet, sive monet, non est importunus aut insolens. Praemonet, adhortatur, consolatur ut amicus benevolus et humanitatis plenus. In luctu et gaudio, timore ac spe, odio et amore modum nunquam excedit, suam laudatam «aequitatem» secutus.

Praestant carmina arte perfecta et granditate, claritate et concinnitate cum praedicat gloriam Romae imperatoriae ac potentiam. Nec tamen natus et proprius in sua arte esse vult, nisi forte in epistulis. In saturis praecessit Lucilius multitudine, non vero arte accurata et eleganti (Sat. 1, 10). Pindari —Dircaea cycno— se imparem fatetur (Carm. 4, 2, 25 ss.). Aequat autem ejus altitudinem in solis ad Romanos odis. Nec omnia ejus carmina consuetudini nostrae et sensui respondent. Fuit enim Flaccus paganus et mores



Cur valle permixta Sabina  
 Divitias operosiores? (Carm. 3, 1, 45).  
 Crescentem sequitur cura pecuniam  
 Majorumque fames...  
 Quanto quisque sibi plura negaverit,  
 Ab dis plura feret: nil cupientium  
 Nudus castra peto et transfuga divitum  
 Partes linquere gestio. (Carm. 3, 16, 18-24).  
 Si figit adamantinos  
 Summis verticibus dira Necessitas  
 Clavos, non animum metu  
 Non mortis laqueis expedit caput. (Carm. 3, 24, 5).  
 Beatus ille qui procul negotiis  
 Ut prisca gens mortalium  
 Paterna rura bobus exercet suis... (Epod. 2, 1-3).

*Deorum pietatem:*

Delicta majorum immeritus lues,  
 Romane, donec templa refeceris  
 Aedesque labentes deorum et  
 Foeda nigro simulacra fumo.  
 Dis te minorem, quod geris, imperas:  
 Hinc omne principium, huc refer exitum.  
 Di multa neglecti dederunt  
 Hesperiae mala luctuosae. (Carm. 3, 6, 1 sq.)

*Hilaritatem:*

Nunc est bibendum, nunc pede libero  
 Pulsanda tellus, nunc Saltaribus  
 Ornare pulvinar deorum  
 Tempus erat dapibus, sodales. (Carm. 1, 37, 1-4).  
 Caecubum et prelo domitam Caleno  
 Tu bibes uvam; mea nec Falernae  
 Temperent vites neque Formiani  
 Pocula colles. (Carm. 1, 20, 8-12)

*Prudentiam:*

Vis consilii expers mole ruit sua,  
 Vim temperatam di quoque provehunt  
 In majus; idem odere vires  
 Omne nefas animo moventes. (Carm. 3, 4, 69-72).

*Perspicit rerum caducitatem vitaeque brevitatem:*

Eheu fugaces, Postume, Postume,  
 Labuntur anni, nec pietas moram  
 Rugis et instanti senectae  
 Afferet indomitaeque morti.



Linquenda tellus et domus et placens  
 Uxor... (Carm. 2, 14, 1-4; 21).  
 Mors et fugacem persequitur virum  
 Nec parcat imbellis iuventae  
 Poplitibus timidoque tergo. (Carm. 3, 2, 14-16).  
 Pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas  
 Regumque turres. (Carm. 1, 4, 14).  
 Omnes eodem cogimur; omnium  
 Versatur urna, serlus oculus  
 Sors exitura et nos in aeternum  
 Exilium impositura cumbae. (Carm. 2, 3, 25-28).  
 Pulvis et umbra sumus. (Carm. 4, 7, 16).

Hinc videre licet gentes antiquas, etsi summo florebant cultu, tamen tristi laborasse maerore.

*Carmina Augusto imperatori dedicata:*

Horatius, cum Augustus suppresso tandem bello civili et civitatis statu in novum redacto Romam anno vicesimo nono revertisset, carmina deinceps in celebrandum imperatorem ac Romam composuit. Nec immerito in pulcherrimis numerantur. Praestant inter ea:

Odi profanum vulgus et arceo. (Carm. 3, 1).  
 Angustam, amice, pauperiem pati. (3, 2).  
 Justum et tenacem propositi virum. (3, 3).  
 Descende caelo et dic age tibia. (3, 4).  
 Caelo tonantem credidimus Jovem. (3, 5).  
 Delicta majorum immeritus lues. (3, 6).

Quoniam tunc aetatis effrenata morum licentia grassabatur, quae familias romanas funditus labefactabat et amorem, pudorem ac disciplinam proterebat, Horatius, plenus irae ac taedii et subsecutorum imperii interitum praesentens, praeclarum, quod memoravi, carmen fecit:

Delicta majorum immeritus lues,

quod desinit in:

Damnosa quid non imminuit dies?  
 Aetas parentum, pejor avis, tulit  
 Nos nequiores mox daturos  
 Progeniem vitiosorem.

Vix credideris poetam, animi plerumque mitis, tantopere in Romanos invehi potuisse. Mortuus quidem est, at vivit carminibus.

# NOVA ET VETERA

De telephōno et telephonio, telegrāpho et telegraphio

Dum Romae Patres Conciliares cuncti paene cotidie conveniunt in basilicam Petrianam, mercatores et institores et locatores sollertissime nuntiis laudativis seu praeconiis commendaticiiis latine compositis res suas vel instrumenta vel vehicula in paginis «Observatoris Romani», ut illa audiunt acta diurna officiosa Vaticani, praedicant exhibenda. Jam illa via, qua per Helvetiam montium jugis, saltuum faucibus, lacuum aequoribus amoenissimam pervenitur Romam, laudibus extollitur<sup>1</sup>. Similiter autocineta conducticia structurae modernioris<sup>2</sup>, quae sint quacumque amplitudine omnibusque numeris absoluta, varietatis perfectionisque collaudationibus commendantur<sup>3</sup>. Eis autem, qui talia commoda non abnuunt, cum non raro sit opus pecunia suppeditanda ARGENTARIA ROMANA (vulgo appellata *Banco di Roma*) ministeria sua sedulo praebet et numerum telephonicum domus ipsius vel diribitorii telephonicum libens indicat utendum<sup>4</sup>. Illis vero Patribus, qui, cum sint surdastris, difficultates auditionis experiuntur eximias, instrumenta recentissima subsidii efficacis venduntur<sup>5</sup>. Denique de telecommunicationibus ibi leguntur haec: «Societas ITALCABLE, quae in Italia nuntia ad exterarum nationes ope telegraphii et telephoni mittit ac suscipit necnon imagines luce depictas, operam suam navare Concilio Oecumenico sibi habet honoris. Ut autem telegrammata queant transmitti, satis est telephonio componere Num. 666 aut illa tradere Officio ITALCABLE sito in Aula pro diurnariis scriptoribus parata (*Sala Stampa, Via della Conciliazione, 52*) vel Officiis ITALCABLE sive in Area iuxta templum S. Silvestri (*Piazza S. Silvestro, Posta Centrale*) sive in Statione viae ferratae cui nomen *Termini* sive in Aeroportu vulgo *Fiumicino*. Quod vero attinet ad nuntia telephonica inter-continentalia, fieri potest praenotatio ex Officio Telephonico praedictae Aulae vel e quovis hospicio aut telephonio publico»<sup>6</sup>.

Haec verba cum legerem, mecum deliberavi, quid hoc ultimo loco esset telephonium publicum. Certo quidem scivi non pau-

1. Cf. *Osservatore Romano* N. 31. 107 (11 Oct. 1962), pag. 7.

2. Cf. ThLL VIII 1211. 51.

3. Cf. *Osservatore Romano* N. 31. 107 (11 Oct. 1962), pag. 10. N. 31. 122 (28 Oct.) p. 4; N. 31. 126 p. 4; N. 31. 127 p. 2; N. 31. 129 p. 7.

4. Cf. *Osservatore Romano* N. 31. 107, p. 10.

5. Cf. *Osservatore Romano* N. 31. 114 (19 Oct. 1962), pag. 4; N. 31. 119 p. 4, N. 31. 122 p. 9; N. 31. 125 p. 5; N. 31. 127 p. 2

6. *Osservatore Romano* N. 31. 108 (12 Oct. 1962), pag. 8.

cos, inter quos potissimum Itali sunt, scribere malle telephonium quam telephonum<sup>7</sup>. Tamen, ubi dicitur '*e quovis hospitio aut telephonio publico*', dubitavi, agereturne de aliqua cella telephonica, quales plerisque in plateis et ad vias majores inveniuntur, an de sede ipsa publica diribitorii telephonici, qualis sedes centralis vulgo dicitur *central telefónica*, italice *ufficio telefonico*, francogallice *station téléphoniqueue*, anglice *exchange*, germanice *Fernsprechamt* (seu *Telefonamt*), neograece τηλεφωνικόν γραφείον seu τηλεφωνεῖον (profertur *tilefonion*). Sed quidquid id est, certe constat apud Romanos antiquos domos quasdam sive publicas sive privatas, ubi ministeria quaedam exhibebantur, vel locos quosdam, quo homines officia quaedam exsecuturi vel beneficia quaedam sive petitori sive accepturi confluunt, non raro nominibus graecis appellata esse.

Itaque ephēbēum (graece ἐφηβείον) est locus palaestrae vel gymnasio additus, quo ephēbi exercendi causa conveniunt<sup>8</sup>, et prytanēum (graece πρυτανεῖον) locus arcis atheniensis, ubi prytañes iudicia exercebant et in quo viri bene de re publica meriti publicis sumptibus alebantur<sup>9</sup>. Hunc in modum illud aedificium, ubi pelliculae cinematographicae spectantur, jure dicitur cinematographēum (seu cinematographium)<sup>10</sup>. Ceterum neohellēnes id tectum, quo cafēum<sup>11</sup> confluunt homines poturi<sup>12</sup>, dicunt καφενεῖον (enuntiat<sup>ur</sup> *cafenton*). Similiter jam ab antiquis domus seu sedes episcopi nuncupatur episcopium (graece ἐπισκοπεῖον)<sup>13</sup>. Porro brephotrophium (graece βρεφοτροφεῖον) locus est, in quo intantes aluntur<sup>14</sup>, et orphanotrophium (graece ὀρφανοτροφεῖον) domus, in qua aluntur pueri parentibus orbat<sup>15</sup>, et ptochotrophium (graece πτώχoτροφεῖον) tectum, ubi degunt et aluntur pauperes<sup>16</sup>, denique ornithotrophium (graece ὀρνιθοτροφεῖον) locus est, ubi aves educan-

7 Cf. PAL. LAT. 27 (1957) 86, 88 sq. et 32 (1962) 410, 414. SOC. LAT. 18 (1952) 20.

Cf. BACCI, *Lexicon*<sup>3</sup>, Romae 1955, p. 646. Hujus operis ingentis editio nova duobus milibus vocabulorum locupletata et aucta in fasciculis decimo et undecimo Actorum Apostolicae Sedis indicatur jam paene perfecta.

Cf. STEINMETZ, Alexander, *Deutsch-Neugriechisch* (Langenscheidt), Berlin-Schöneberg 1961, p. 383: τηλεφωνον (effertur: *tilefonon*).

8 Cf. LhLL V, 2 654, 35-43.

9 Cf. FORCELLINI, *Lexicon totius Latinitatis*, tom. III (Patavii 1940), p. 949.

10 Cf. BACCI, *Lexicon*<sup>3</sup>, p. 145 sq.

11 Cf. MIR, PAL. LAT. 29 (1959) 39, adn. 33; et 32 (1962) 283, adn. 82.

Cf. VIT. LAT. n. 3 (Janvier 1958), p. 22; n. 4 (Mai 1958), p. 79: poculo lactis et cafet; *ibid.* p. 52 sq. —SLEUMER, Albert, *Kirchenlateinisches Wörterbuch* 2, Limburg/Lahn 1926, p. 180: cafetum, -i n. (Kaffee). Alibi jam legi: *caffea* (sed locus mihi excidit).

12 Cf. ThLL II 1959, 50-53: bibitum, bibiturus non ante saec. III inveniuntur, pro quibus melioris aetatis scriptores potum, -us, -urus usurpant.

13 Cf. ThLL V, 2 676, 41-46.

14 Cf. ThLL II 2169, 1315.

15 Cf. FORCELLINI, III, p. 524.

16 Cf. FORCELLINI, III, p. 952.

tur<sup>17</sup>. Praeterea nosocomium (graece νοσοκομείον) valetudinarium est, in quo recipiuntur curanturque aegroti<sup>18</sup>, et gerontocomium (graece γεροντοκομείον), ubi senes curantur vel pascuntur<sup>19</sup>. Postremo xenodochium (graece ξενοδοχείον) hospitium<sup>20</sup> publicum (seu deversorium seu hospitale<sup>21</sup>) est, quo hospites, id est peregrini, excipiuntur<sup>22</sup>.

Similiter jure optimo id *tēlephōnium* dicitur, quod est neograece τηλεφωνεῖον, is scilicet locus, ubi tēlephōna varie et diversimode conectuntur, ubi ductus<sup>23</sup> telephonicī conjunguntur, ubi denique telephonetriae<sup>24</sup> (seu telephonistriae) eam rem rogatae id efficiunt, ut, quorum id interest, cum hominibus longissime remotis telephonice colloqui<sup>25</sup> possint, vel ubi instrumenta automataria conjunctionum perficiendarum reposita sunt, quibus quod antea per operarios operariasve efficiebatur, nunc electromagnetice confit<sup>26</sup>.

His autem diebus in actis diurnis, quae inscribuntur «Ephēmēris Germaniae Meridionalis», revera stupefactus legi Monaci, in urbe principe Bavariae, die nono mensis Novembris primum totius orbis terrarum diribitorium<sup>27</sup> telephonicum electronice administratum inauguratum esse. Hujus sollemnitatis singularis occasionem nactus Richardus Stücklen, administer publicus rei cursualis Germaniae foederalis<sup>28</sup>, Bavarorum laudavit translaticiam propensionem ad res telephonicas fovendas ipsamque telephoniam provehendam. Qui dixit anno 1909 Suapingae<sup>29</sup>, in tribu quadam urbis Monaci, primum Europae telephonicum diribitorium automatariae rationis institutum

17. Cf. FORCELLINI, III, p. 522.

18. Cf. FORCELLINI, III, p. 390.

19. Cf. ThLL VI, 2 1950, 58-64.

20. Cf. ThLL VI, 3 3040, 45-79.

21. Cf. ThLL VI, 3 3035, 7 sq.

22. Cf. FORCELLINI, IV (Patavii 1940), p. 1047.

23. Cf. ThLL V, 1 2171, 83-2172, 16.

24. neograece dicitur τηλεφωνήτρια; cf. nomina antiqua, quae sunt 'poëta' et 'poëtria'. Cf. KUERSCHNER, *Lexikon der sechs Weltsprachen* 5, vol. I, Berolini et Lipsiae 1931, p. 1747: «violīnista (qui violīna cant), violīnistria (quae violīna cant)». Cf. ThLL III 1198 citharista — citharistria.

25. seu telephonare, Cf. VIT. LAT. N. 11 (Sept. 1960), p. 69 - 72: *De verbis temporalibus novandis*.

26. Cf. ThLL IV 194, 60-82: *passivum est confictor, -i, sed in quibusdam personis ac temporibus usurpatur etiam confio, confieri*.

27. Cf. ThLL V, 1 1232, 23-29: *diribitorium est aedificium Romae, ubi suffragia diribebantur, vel aedes, ubi aquae diribebantur*.

Cf. *Osservatore Romano* N. 31. 107 (11 Oct. 1962), p. 10: «Telephonicī autem diribitorii numerus is est...»

28. Germanice *Bundesrepublik Deutschland*; cf. AAS 48 (1956) 484: *Rei publicae Foederalis Germaniae*.

Cf. PAL. LAT. n. 167: 29 (1959) 162: *foederalis Germaniae Praesidem*. Sed cf. AAS 52 (1960) 90: *In Foederatis Germaniae Occidentalis Civitatibus*. *ibid.* p. 328: *apud Foederatam Germanicam Rem publicam*. Cf. 53 (1961) 46.

29. *Schwabing*.

esse; anno 1923 Veilhemii<sup>30</sup>, in municipio Bavariae Superioris, primum distributorium telephonicum a participibus procul dirigendum<sup>31</sup> constructum esse; denique anno 1954 in ipsa urbe Monaco prima selectoria<sup>32</sup> instrumenta telephonica versatilia metallorum melioratorum<sup>33</sup> (seu praestantiorum<sup>34</sup>), id est instrumenta incorruptiliora<sup>35</sup> discorum combinatoriorum<sup>36</sup>, instructa esse<sup>37</sup>.

Sed in novo telephonio electronico technica inventa recentiora conjungebantur in usum adducta, elementa semiconductoria, qualibus in modum diodorum<sup>38</sup> transistoriarum<sup>39</sup> recentissime radiophōnula parva instructa sunt, et laminae contactuum<sup>40</sup> efficiendorum ratione Americana tabulis vitreis gasi<sup>41</sup> plenis fusurō inclusae, quo fit, ut strepitibus fragoribusque quibusvis exclusis neque condicionibus tempestatis neque pulveris colluvionibus obnoxiae paene in perpetuum possint adhiberi. His rationibus et elementis novis, quibus cerebra quoque, quae dicuntur, electronica instruuntur, actiones combinatoriae cum certius tum multo citius peragi possunt, cum sit hoc systema ita dispositum, ut campi magnetici<sup>42</sup> ratione electronico, non jam mechanicō, copulentur<sup>43</sup>. Haec hactenus de telephonio electronico Monacensi.

*Telephonium* est ergo statio telephonica centralis, unde singuli ductus telephonicī ad singula diducuntur<sup>44</sup> *telephōna*. Conducit igitur haec instru-

30. *Weilhelm*; de situ cf. opus, quod est: «Declaratio tabulae sive descriptionis Bavariae a Phil. Apiano (saec. XVI) confectae et editae, in commentariis *Oberbayerisches Archiv*», vol. 39. (Monaci 1880), p. 43, 15-18: «Est autem horum caput Weilhelmum, urbs Bavariae secundum quosdam antiquissima, ad Ambræe fluvii orientalem ripam, loco plano et conspicuo, duobus supra lacum Ambronem (*Ammersee*) militaribus posita».

31. Germanice *Teilnehmerfernwahl*.

32. Cf. FORCELLINI, IV, 294: selectio - selector.

33. Cf. ThLL VIII 618, 6 619, 10: meliorare.

34. *Edelmetall, metal precioso, metallo prezioso*.

35. Cf. ThLL VII, 1 1030, 82 (*comparat.*).

36. Cf. ThLL III 1758, 11-46: combinatio - combinare.

37. Cf. Germanice *Edelmetalldrehwähler*; ad verbum: 'versatilis discus selectorius metalli pretiosioris'.

38. diodus (græce δίοδος) = *Diode* (ut *periodus, methodus*).

39. Cf. ThLL IV 472, 81-473, 48: consistorium. Germanice *Transistoren-Dioden*.

40. Cf. ThLL IV 624, 4-625, 2.

41. Cf. SLEUMER, Albert, *Deutsch-kirchenlateinisches Wörterbuch* 3, Bonn (*Dümmler*) 1962, p. 81: *Gas* = *gasum, gasig* = *gasinus*.

42. Cf. ThLL VIII 104, 39 sq.: CLAUD. *carm. min.* 29, 26 ferrea Martis forma nitet, Venerem magnetica gemma figurat. (*Hic est unicus locus latinitatis antiquae, ubi abjectivum «magneticus, -a, -um» inventur*).

43. Cf. *Süddeutsche Zeitung*, N. 270 (10./11. Nov. 1962), p. 11: WALTER FIRGAU, *Das elektronische Telephonfräulein* (i. e. de telephonetria [telephonistria] electronica).

44. Cf. FRONTIN. aq. 21 rectus ... ductus secundum Spem ventens ... in altos rivos ... diducitur.

menta manualia, quibus quisque ad suum arbitrium uti potest, ab ipsa sede discernere diribitorii telephonici, quod, quoad fieri potuit, jam apparatus automatopoeētis<sup>45</sup> instructum est. Ergo e re est ipsa quoque nomina distinguere. Itaque *tēlēphōnum* est id instrumentum, quo quisque cum absente telephonice colloqui potest, sed *telephonium* is est «locus», ubi officia, quae ad colloquia telephonica pertinent, praestantur et telephōna singulorum inter se conjunguntur.

Eadem fere distinctio discretiove spectat ad *telegrāphum* et *telegraphium*. Scribitur quidem non raro *telegraphium*, quasi τῆλε graecum et *graphium* latinum coagmentata sint in unum<sup>46</sup>. Alibi legitur *telegraphus* vel *telegraphos*, cum neograece dicatur τηλεγράφος<sup>47</sup>. Tamen Josephus Maria Mir, qua pollet scientia sagacitateque, argumentis firmis demonstrat nomen telegraphi recte fictum non esse generis masculini sed neutrius<sup>48</sup>. Ergo est tēlēgrāphum id quod hispanice et lusitane et italice dicitur *telégrafo*, francogallice *télégraphe*, anglisce *telegraph*, germanice *Telegraph* (seu *Fernschreiber*). Id autem quod telegrapho nuntitatur, quod opus telegraphētae<sup>49</sup> (seu telegraphistae) perpetrant, nuntius telegraphicus dicitur seu nuntium telegraphicum seu telegramma. Sed ipsa sedes, ubi talia ministeria mandantur et eis explentur, qui certiores alios telegraphice, id est quam citissime, facere desiderant, neograece dicitur τηλεγραφεῖον (effertur *telegrafion*), unde latine dicatur *telegraphium*<sup>50</sup>. Ii igitur *telegraphium* adeant necesse est, qui sive necessitate sive necessitudine commoti ad absentes nuntium telegraphicum transmittere<sup>51</sup> coguntur. Quod negotium mandatum tēlēgraphō tēlēgraphētae tam brevitati quam perspicuitati verborum intenti scitissime exsequuntur, atque id quidem sive per ductus telegraphicos (id est telegraphice) sive per undas aetherias (id est radio-

45. Cf. ThLL II 1600, 41-43: VITR. 9, 8, 4 aquarum expressiones automatopoeetasque machinas.

46. Cf. BACCI, *Lexicon* 3, p. 647

Cf. ThLL III 1377, 24: RUFIN. *hist.* 1, 1, 4 quaecumque igitur proposito operi convenire credidimus ... in unum corpus redigere et coagmentare temptavimus.

47. Cf. *Rituale Romanum*, typis polyglottis Vaticanis anno 1957 editum, ubi tit. IX, cap. 9, n. 24 leguntur haec: Benedictio telegraphi (*tit.*), Clerus ... procedit usque ad stationem telegraphi. Sacerdos ... aspergit telegraphum aqua benedicta.

48. Cf. PAL. LAT. 26 (1956) 169 (hic libellus - id quod valde doleo! - mihi deest); 27 (1957) 88 sq.; 30 (1960) 28 sq., adn. 4; 32 (1962) 410. 414.

49. Neograece dicitur τηλεγραφητής; quod nomen a verbo graeco γραφέω (i. e. γράφω), quod est dialecti Attidis, ducitur: HENRICI STEPHANI *Thesaurus Graecae Linguae*, tom. III (Graz 1954), p. 782.

50. Hispanice *oficina de telégrafos*, italice *ufficio telegrafico*, francogallice *bureau du télégraphe*, lusitane *estação telegraphica*, anglisce *telegraph office*, germanice *Telegraphenamt*.

51. seu telegraphare, Cf. VIT. LAT. N. 11 (Sept. 1960), p. 69-72.

telegraphice). Denique, cum sit sermoni dilucido et orationi pressae prospiciendum, curandum videtur esse, ne confundantur inter se *tēlēgraphum* et *tēlēgraphiūm*.

Scribebam mense Novembri anno MCMLXII.

CAELESTIS EICHENSEER, O. S. B.

## ADNOTATIUNCULAE

Maxime laudandus est P. Caelestis qui in tractandas latine res nostrae aetatis totis viribus incumbit, idque versatili facit scribendi ratione ac sagaci illo sensu seu instinctu quo ductus lexica perscrutatur antiqua ibique reconditas invenit voces — quae novis rerum inventis commode aptentur —, aut vocabula ab aliis studiose reperta, omni posthabita dubitatione, securus fidensque adhibet.

Dilaudandum propositum; utinam et alii in eandem ingrediantur viam, est tamen modus servandus ne fines imprudenter transgrediamur. Ut ipse sedulo facit, loci afferantur oportet probatique auctores — qui voces novas aut novandas adhibuerunt —, ex iisque argumenta ad vocabula accipienda aut reicienda eruantur.

Nunc vero quod ad substantiva *telephonum* - *telephonium* et *telegraphum* - *telegraphiūm* spectat nonnulla legentibus — ne confusio oriatur — explicanda censeo.

Primum (cfr. PAL. LAT. 26 (1956) 149) *telephonum*, *telegraphum*, *stilographum*, *dactylographum*, cet. scribenda proposui quo et etymo graeco distinctius voces responderent et confusio cum substantivo *graphium*, facile orienda, vitaretur. Deinde cum ipsas voces studiosius investigarem et cum aliis linguae latinae conferrem id nactus sum multa esse vocabula quae adjecta littera -i- quasi mollirentur (cfr. PAL. LAT. 27 (1957) 88). Qua ducti ratione, nova illa fingentes nomina latina, eadem flexione nos mollire posse statuimus (*telephonium*, *telegraphium*, *phonographium*, cet.), ut clarissimi viri Card. Bacci, Egger, Springhetti, aliique fecerant.

Illud tamen animadvertendum haec vocabula non a nomine «*graphio*» originem ducere, sed a verbo graeco γράφω (cfr. PAL. LAT. 26 (1956) 168); quod etymon Emmus. Card. Bacci in suo praeposuit lexico: «*Telegraphium*, ii, n. (τῆλε = *in lontananza* — γράφω = *scrivo*)»; «*Phonographium*, ii, n. (φωνή = *suono* — ωγράφω γράφω = *scrivo*)»; sed deinde has voces cum explicat, addit: «*Vox enim «graphium» seu stilus habetur apud Ovidium, Senecam et alios, ac significat apicem ferreum ad scribendum aptum...*» (cfr. *Lexicon*, s. v. *fonografo*, *telegrafo*); quod

sane priori proposito etymo non convenit, et in nonnullis substantivis vero aderit nominis iteratio seu tautologia, ut in *stilographio* = «stilus» = *graphium* + «graphium» = *graphium*. Illa vero etymologia — a v. γράφω — perspicuis declaratur verbis a cl. v. J. Corominas (*Diccionario crítico etimológico de la lengua castellana*, s. v. *tele*:- «Telégrafo [Acad. ya 1817], voz creada en Francia en 1794, con γράφειν 'escribir'»; «*Estilográfico*, tomado del ingl. *stylographic* [1880], hoy poco usado, compuesto de *stilus* 'punzón de escribir' y γράφω 'escribir', en el sentido 'que escribe a manera de stilo'»).

Ex his igitur *stilographum* - *stilographium*, *telegraphum* - *telegraphium*, *dactylographum* - *dactylographium*, cet. adhiberi posse censuimus, veram tamen vocum etymologiam ante oculos habentes, quae certo est a v. γράφω.

Nunc autem P. Caelestis alia incedit via et *telegrāphum* proponit et *telegraphium*, *telephōnum* et *telephonium*: sensu tamen alio; nam in illa prima harum vocum explicatione -ī- littera vocalis erat *unionis* et ideo brevis; nunc vero -ī- proponitur a diphtongo graeca εἰ deductum: neque a v. γράφω neque a *graphio* procedit, nam latini scriptores *graphium* dixerunt (cfr. ERNOUT-MEILLET, *Dict. etymolog. de la l. lat.*, s. v.).

Nihil obstat quominus nomina proposita a P. Caelesti ejusque argumenta, a similibus verbis deducta, plane accipiamus; sed exitus ille -ī- = εἰ non in omnibus induci potest nominibus, sed in his tantum quae *locum* significant; scribendum igitur et enuntiandum *stilographum* - *stilographium*; sed *telegraphium*, *telephonium* [= «*locus, sedes telephōni, telegraphi*»], cet.

JOS. M. MIR, C. M. F.



# EPISTULARUM INTER SOCIOS COMMERCIIUM

Reverendo P. J. M. Mir, Fr. Basilius O. S. B. s. d. p.

Post nimis longum silentium (tam celeriter fluit tempus!), nunc tandem tibi gratias agere possum de illa epistula quam mihi longam et doctam et amicam proximo anno miseras, in qua ostendebas quomodo nomina virorum ac mulierum latine vertenda putares. Qua de re propter temporis inopiam mihi licuit in VITA LATINA quicquam scribere.

In proximo VITAE LATINAE libello legere poteris primam partem huius commentationis quam tu nosti amicum Clementem J. Mysca mecum scribere voluisse «De telecommunicationibus acusticis». Illam et latine et perspicue scribere conati sumus. Res sane difficilis, in qua fieri non potuit quin mendosa quaequam irreperent. Si quid ergo vel parum latine vel nimis obscure scriptum inveneris, ea de re certiolem me facias rogo, tuas animadversiones grato animo accepturus.

Ad vocem gallicam «*information*» quod attinet, per eam non id significavimus quod quaeritur, sed «quod nuntiatur». Rem igitur mature perpendentes, usurpandum censuimus tum vocabulum «nuntius -ii», tum participia «nuntia -orum» (pl. n.) vel «nuntianda -orum».

His autem diebus alia vox magnam mihi praebet difficultatem. Nescio enim quomodo latine dicam id quod gallica voce «*timbre*» dicitur (v. g.: *le timbre d'un son tient à des sons harmoniques qui coexistent avec le son fondamental; le timbre de la flûte est essentiellement différent de celui du hautbois; je reconnais le timbre de sa voix*). In lexicis et *sonitum* et *tinnitum* inveni, sed revera neutra vox satis apta videtur. Putavi etiam me uti posse aliis verbis ut *colore* vel *sonore*: quod enim gallice dicitur «*timbre*» est quasi «vocis vel soni color»; sed haec mihi nimis poetica visa sunt.

Ulterius progredienti alia mihi occurrerunt, *qualitas* (vide *Quintilianum*, 11, 3, 5), *character*, *natura*, *sonandi modus*, *vocis genus*... Quintilianii auctoritate motus, heri ad «qualitatem» inclinabam. Hodie autem ad «naturam» potius accedere videor: quae est enim soni alicujus natura, nisi id quod gallica voce «*timbre*» indicamus? Attamen nondum potui satis firmiter judicare, adhuc anceps haereo. Hac de re mea vehementer interest scire quid tu sentias, auxiliumque tuum mihi non defuturum spero.

Chartulam vestram nataliciam laetus accepi. Virginem Matrem cotidie oro pro te aliisque Patribus qui mihi amici sunt et pro tota familia Claretiana. PALAESTRAM LATINAM saepe in mente, saepe in manibus habeo, utilis-

mos sane commentarios, quibus exopto ut augeatur hoc anno lectorum numerus.

Vale in Domino, carissime Pater, eumque pro me fideliter ora.

Scr. Dorniae, id. jan. anni MCMLXIII.

*Jos. M. Mtr, C. M. F., Fr. Basilio, O. S. B. salutem pl.*

Quae cum amico Clemente scripsistis libenter legam cum in VITA LATINA prodierint.

Quod vero diligenter curas ut locutiones vernaculae difficiliore recte in latinum convertantur, plurimum gaudeo. —Neque a vero te abesse credo in illa voce gallica *timbre* latine reddenda. Quid autem ego sentiam, paucis absolvo.

*Sonor*: est ipse «sonus» et a poëtis praecipue usurpatur.

*Natura*: qua non nihil amplius, quam tu intendis, significari videtur; nam *natura* res ipsa constituitur; illud autem *timbre* est tantum «qualitas».

*Qualitas*: vocabulum a Cicerone fictum quo significamus 'quales' sint res —ut in voce: «exilis, tenuis, suavis, splendida, aspera»—: quae sunt virtutes seu *vocis qualitates*. —*Virtus* igitur adhiberi potest et *qualitas*.

*Genus*: saepe aptissima erit vox ad hanc notionem reddendam.

*Color*: cum multa sint apud veteres quibus 'color' per translationem appetur, haud a latinitate absonum videtur hoc verbum ad *vocem* transferre. Romani tamen has metaphoras —quae ipsis audaciores erant— quibusdam temperabant verbis (*quasi, quaedam quasi*).

Quae autem sequuntur locutiones paululum luminis in hac voce reddenda fortasse infundent; scis enim saepe, quae nos substantivo (abstracto) exprimimus, Romanos in adjectivum transferre:

splendor vocis, *timbre claro de voz, timbre limpido,*  
 sonus vocis, *timbre sonoro,*  
 vox clara, *timbre claro,*  
 vox plena, *timbre sonoro,*  
 vox suavis *timbre de voz agradable, simpática,*  
 vocula; vox exigua, *timbre de voz finísima,*  
 vox splendida, *timbre metálico de voz,*  
 vox clara, *timbre sonoro,*  
 vox dulcis, lenis, *timbre dulce de voz,*  
 vox grandis et plena, *timbre vtril,*  
 vox absona, *timbre desentonado,*  
 vox aspera, *timbre desagradable,*  
 vox subrauca, *timbre enronquecido.*

Haec sunt quae tecum raptim communicare volui tuisque humanissimis respondere litteris.

De amicitia operaque conjuncta vestra cum Clemente mirum in modum gaudeo. —Valeatis, fratres.

Scr. die 26 m. Januarii, anno 1963, Barbastro.

*Josephus Ijsewijn Josepho M. Mir suo S. P. D.*

Quod tam diu a me nihil accepisti, causa imprimis erat valetudo... Hoc autem tempore ad meliorem sensum statum redeo.

De «aurantii» nomen videsis quae protulit Carolus Egger in commentariis q. t. *LATINITAS*, 6 (1958), pp. 149-150. Cujus verbis adsentiri velim, nisi quod «malum arantium» pro «malum aurantium» dicere malit, propterea quod vocabulum non ab «auro» ductum sit (ut vulgo creditur) sed a nomine quodam persico. Contra dixerim «aurantii» formae usum ita in sermone latino invaluisse (eam enim semper ponunt botanici et pharmacopolae in medicamentorum formulis: e. g. «aurantii succus, aurantii oleum», cet.), ut emendatio «etymologica» satis videatur inutilis. Aliter enim voluit usus, *Quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi!* Sic etiam, ni fallimur, iudices Hoeufftiani opinati sunt, qui Henrici Schnur carmen, ex quo versiculos laudavimus, probaverunt<sup>1</sup>.

Quoniam quaestio de «aurantii» nomine nunc proposita est, rogare te velim quomodo latine appellari debeant alia quaedam «aurantiorum» genera, parvum illud dico «aurantiolum» cui nomen est vulgare «mandarinæ» et magnum id pomum, cortice luteo, amariore sapore, quod botanici *citrum demanum* vocant, anglici autem «grapefruit», gallici «pamplemousse», vosque Hispani, si recte sciam, «toronja». Potestne appellari «aurantium decumanum» an melius novisti tu nomen?

Redeo tandem ad «decimionem» meum. Ac primum non convenit vox, quamvis latina, «decenn(al)is», quia *teenager* non adolescentem significat «decem annorum» (ut intellexisse videris), sed adolescentem cujus in annorum numero vox «decem» («decim») auditur, eum itaque qui inter undecimum et undevigesimum suae aetatis est annum: Est igitur annorum *undecim*, *duodecim*, cet. Haec igitur ratio est cur a radice «decim-» novam vocem derivaverim. Non placuit vox «denio», quoniam voces similes «unio, binio», cet. numquam hominem significant. Melior fortasse videtur «decennio», quamquam potius ad puerum «decennem» quam ad ampliorem, qualem descripsi, adolescentiae classem hoc tempore a cantatoribus praesertim celebratam spectare puto. Quodsi iterum hanc quaestiunculam perpensare velis valde laetabor. Vale!

*Josephus M. Mir, C. M. F., Josepho Ijsewijn, cl. v., sal. pl.*

Nunc tu me de intervallo litterarum fortasse accusabis; in quo tamen nulla incuria aut neglegentia fuit.

Quae cl. viri Carolus Egger, J. B. Pighi (*Latinitas, variorum scripta in latinum conversa*, Mediolani 1955, p. 400-401), Card. A. Bacci (*Lexicon*<sup>4</sup>) scrip-

1. Cf. fasc. superiorem, n. 181, p. 45.

serunt, diligenter legi; eaque cum aliis probatissimis contuli scriptoribus, ex quibus —quanquam non omnia aperta luce illustrantur— tamen haec tibi propono verba quae seligenda putavi:

<i>naranja - orange - arancia</i>	arantium, pomum vel malum arantium; malum sinense; malum aurantium;
arbor vero ( <i>naranjo</i> )	malus arantia, citrus arantia; citrus sinensis.
<i>limón - limon - limone</i>	citrum amarum; citreum;
arbor ( <i>limonero</i> )	citrus, citra.
<i>mandarina - mandarine - mandarino</i>	citreum nobile; citrus deliciosa;
arbor ( <i>mandarinero</i> )	citrus nobilis.
<i>cidra - citron - cedro</i>	malum medicum, malum assyrium;
arbor ( <i>cidrero</i> )	citrus medica.
<i>toronja - plamplemousse</i>	citrum decumanum;
arbor	aurantium decumanum; citrus decumana.

*Aurantium decumanum* tuum accipere possumus ut nomen vulgare —vulgatum aut vulgandum— quin herbariorum *citrum decumanum* neglegamus —ut in aliis nominibus technicis facimus—.

Quod vero de *arantio* et *aurantio* dicis, plane tibi assentio; sed duo vocabula scriptorum arbitrio tradi posse videntur.

Ceterum, his diebus nondum adducebar ut *decimtonem* tuum in thesaurum latinum acciperemus; cum enim notionem, quam subtiliter definis, ante oculos haberem, a *decennione* non recedendum censebam; propius enim ad rem ipsam exprimendam nos accedere mihi videbatur si eum qui '*decem annos expletos habet*' —a decimo ad undevicesimum— *decennionem* potius quam *decimtonem* tantum, appellaremus; aptiusque mihi videbatur conformatum verbum latinum (*decennio*) magisque aliis vocibus assimilatum; habes enim quod ad primam vocis partem *decennium*, *decennovium* (*decennis*), et quod ad exitum —quo actionis exsecutorem significemus: «homuncio, pusio, sannio, histrio, ludio, curio, decurio, centurio, tabellio...»

Illum vero sensum —i. e. puer qui est inter decimum et undevicesimum annum— novae voci eadem ratione indimus atque in recentioribus linguis, in quibus haud raro tota rei notio non uno comprehenditur vocabulo, sed ex translatione, accommodatione, analogia, populi arbitrio vocis sensus tandem constituitur.

Nunc vero nisi quia non nihil ipsa vocabuli conformatio repugnabat, tuam acciperem vocem —nam quae supra memoravi, tu in re expertus facile in tuam retorquebis partem et vocem. —Expectemus igitur, aliosque nobis sapientiores audiamus.

Quae de re addam, alia non suppetunt.

Fac valeas nosque in Christo ama.

Barbastris, die 28 m. martii, a 1963.

# DE QUIBUSDAM ITALICIS PEREGRINISQUE VOCABULIS LATINE REDDITIS

*Franciscus Aloise, in Pontificio Seminario regionis Calabriae litterarum professor,  
Josepho Mariae Mir, PALAESTRAE LATINAE moderatori doctissimo, s. p. d.*

Cum Iosephus B... Nicot. et Trop. Episcopus, e Concilio Vaticano altero redux, neque in magnis latinis vocabulariis neque in lexicis recentioribus verba *aggiornare, aggiornato, aggiornamento...* invenisset, a me quaesivit quomodo ea e lingua vulgari in latinum transferri possent.

Quod non tantum libenter feci; verum etiam, magna cum animi delectatione, alia vocabula inusitata, nova, peregrina, adventicia collegi et latine reddidi.

Ad ea efficienda optimum latinitatis *lexicon forcellinianum* atque Nazolii *Thesaurus Ciceronianus*, in quibus paene omnia inveni, mihi non mediocri auxilio fuerunt.

Cuncta quasi e Ciceronis operibus vocabula mutuatus sum, sed aliquando, cum nulla alia ad significanda panderetur via, ad alios latinitatis scriptores confugi.

Ad aliquid autem novum vel dictu difficile significandum, circumlocutione usus sum, quod vero prudenter feci.

Semel vel bis e graeco fonte voces, quae apud aureos auctores nullae inveniuntur, hausí.

Cum ea PALAESTRAE LATINAE lectoribus utilitati fore existimem, tibi, humanissime et doctissime vir, vehementer etiam atque etiam rogo ut edas in vulgus atque quid de eis sentias aperte dicas. Si quid castas aures offendet, veniam mihi dato.

D. Rhegii Julii, Kal. April. a. MCMLXIII.

FRANCISCUS ALOISE

1. ACCA: *non sapere un'acca*: in maxima omnium rerum ignorantia versari. Cic. N. D. 1, 16, 43.
2. AGGIORNARE: *aggiornare la liturgia*: hodiernis necessitatibus ritus accommodare.  
«Hodiernus», apud Ciceronem significat *del nostro tempo, del presente tempo*. Cic. Brut. 10, 39.  
Accommodare alqd alicui rei. Cic. De Orat. 2, 38, 159.

3. AGGIORNARSI: *aggiornarsi nella filosofia*: *recenti philosophia mentem instruere.*  
*Recens veteri opponitur, et est nuper factus, qui nuper accidit, novus.*  
*Mentem instruere. Cic. Brut. 59, 214.*  
*aggiornarsi nelle lettere*: *recentium litterarum cognitionem capere.*  
*Cognitionem capere. Cic. N. D. 2, 56, 140.*  
*aggiornarsi nella cultura*: *ad recentes artes et disciplinas mentem conformare.*  
*artes et disciplinae. Cic. Cael. 30, 72.*  
*mentem conformare. Cic. Fam. 1, 8, 2.*
4. AGGIORNATO: *aggiornato nel diritto canonico*: *in recenti jure canonico instructissimus. Cic. Fin. 2, 17, 57.*  
*aggiornato in ogni campo*: *omnium recentium rerum cognitionem habere.*  
*Cognitionem habere. Cic. Fin. 5, 12, 34.*
5. AGGIORNAMENTO: *aggiornamento nel diritto canonico*: *Juris Canonici codex ad doctrinam rocentem conformatus.*
6. ALISCAFO: *linter, quae proprio machinamento acta, summa per aequora volat.*
7. APERITIVO: *potio, quae ante cibum sumitur, ut appetentiam faciat.*  
*Appetentiam facere. PLIN. 19, 38, 3.*
8. ARGENTO VIVO: *puer, qui neque umeris neque manibus neque pedibus consistere potest. Cic. Q. fr. 308.*
9. ARRUFFAPOPOLO: *concionator. Cic. Cat. 4, 5, ubi Cicero videtur intellegere eum qui multitudinem concitat et seditonem movet.*
10. ASPIRAPOLVERE: *instrumentum ad aspirandum colligendumque pulverem.*
11. ASSICURAZIONE: *assicurazione contra la morte, le malattie, la vecchiaia*: *societas quae, pacta pecunia, contra mortis, morbi, senectutis damna sarcit.*  
*Damna sarcire. Liv. 9, 23.*
12. ASSO: *quello è un asso*: *ille est facile princeps. Cic. Cl. 5, 11.*
13. ASSOCIAZIONE A DELINQUERE :*nefaria societas. Cic. Cat. 1, 13.*  
*Impiorum civium societas. Cic. Fam. 1, 6.*
14. AVVENTURIERO: *homo temerarius et audax. Cic. Inv. 1, 3.*
15. BEN MESSO: *corpus bene constitutum. Cic. Tusc. 2, 6.*
16. BESTIA: *sei una bestia! O hominem humanitatis inopem. Cic. Orat. 2, 10, 40.*
17. BIKINI: *parvum subligaculum. Cic. Off. 1, 35.*
18. BOLERINO: *muliebris curta tunica.*
19. BRUCIATA: *gioventù bruciata*: *libidinosa et intemperans adulescentia.*  
*Cic. Sen. 9, 29.*
20. CAPONE: *durus et agrestis homo. Cic. Orat. 43, 148.*

21. CAVALLERIZZA: virgo insidens aequo. LIV. 1, 2, 13.
22. CICCIONE: pexus et pinguis homo. QUINT. 1, 5, 14.
23. CIN - CIN: bene nos!...  
«Bene» frequenter in precationibus et ominibus, quae a bibentibus fieri solent: cum accusativo aut dativo. (FORCELLINIUS).
24. COMUNISTELLI DI SAGRESTIA: qui, dum Democratiae Christianae se esse profitentur, communistarum more, aequationem communionemque omnium bonorum cogitant.
25. COSE FRITTE E RIFRITTE: communia et contrita. CIC. Orat. 1, 31.
26. CUFFIA: *uscir pell rollo della cuffia*: impune egredi. CIC. De Orat. 159.
27. DARLA A BERE: inanibus callidisque verbis aliquid alicui imponere. CIC. Q. fr. 2, 6, 5.
28. DITTAFONO: machinula quae voces imprimat et repetat.
29. DIVO, DIVA, DIVETTA: in cinematographica arte singularis et quasi divinus (divina) homo (mulier, puella).  
singularis et divinus in aliqua re. CIC. De Finib. 3, 2, 6; De Rep. 1, 29, 45; De Leg. 3, 1, 1.
30. ELETTRIZZARE: *elettrizzare uno*: animum alicujus excitare et inflammare. CIC. Har. resp. 19.
31. ÉLITE: *l'élite della città*: primores. TAC. Ann. 2, 19.  
optimates. CIC. De Rep. 1 45.  
Civitatis primores et optimates. COLUM. 12, 3.
32. FIGLIA DEL SECOLO: puella, quae sine ulla cogitandi agendique ratione vivens, se omni dat libidini.
33. FOLKLORE: alicujus populi consuetudinum, morum, rituum descriptio.
34. FORCHETTONE: qui urbem (provinciam, rempublicam) quaestui habet. CIC. Off. 2, 22.
35. FUSTO: *un bel fusto*: homo procerae staturae. SUET. Vesp. 23. — *catlaster* (apud Vitruvium), si agitur de adolescentulo.
36. GALOPPINO ELETTORALE: suffragator. CIC. Mur. 7.
37. GATTA CI COVA: intus est equus Trojanus. CIC. Mur. 143.  
intus insidiae sunt. CIC. Cat. 2, 5, 11.
38. GIGANTEGGIARE: unus inter omnes eminere. CIC. Orat. 29.
39. GOMMAPIUMA: *materasso gommapiuma*: culcita gummi plumis repleta.  
«Culcita», apud Forcellinium, est proprie id super quod dormientes quiescimus: *materasso*.
40. GRATTACAPO: res ad patiendum tolerandumque difficilis. CIC. Tusc. 178.  
*procurarsi grattacapi*: molestis et operosis implicari. CIC. N. D. 20, 52.  
*dare grattacapi a uno*: alicui negotium difficile facessere. CIC. Fam. 3, 10.

41. GRATTACIELO: palatium ad sidera ductum.  
 «Sidus» hic designat ingentem altitudinem, per hyperbolem. Pro-  
 pertius 3, 1, 57: pyramidum sumptus ad sidera ducti.
42. INSIGNIFICANTE: *uomo insignificante*: nequicquam est in tali homine.  
 Cic. *Tusc.* 3, 8.
43. IUKE · BOX: phonographium machinale, quod, calculo in capsellam  
 immisso malleoque represso, cantiunculam aut modos repetit.
44. LEIT · MOTIV: versus intercalaris.  
 «Intercalaris» proprie dicitur de die, mense, anno; sed translate etiam  
 de versibus (FORCELLINIUS).
45. LINGUAFONE: linguarum cognitio per phonographium.
46. LUNA DI MIELE: primae conjugii suavitates.
47. NATO VESTITO: homo sidere dextro editus. STAT. *Silv.* 3, 4, 63.
48. NULLATENENTE: inops et egens. SUET. *Ner.* 6.
49. PAVONEGGIARSI: homo (mulier, puella) qui (quae), per viam ince-  
 dens, impensius se sua delectat forma.
50. RACCHIA: mulier indecora et propecta aetate. Cic. *Brut.* 34, 129.
51. RISONANZA: *le parole del Sommo Pontefice ebbero risonanza in tutto il  
 mondo*: verba Summi Pontificis ab omnibus gentibus et nationibus  
 audita sunt.  
*quella sciagura ebbe risonanza in tutto il mondo*: illa calamitas animos  
 omnium gentium movit.
52. ROMPICOLLO: adulescens perditus et dissolutus. Cic. *Tusc.* 4, 25.  
 homo contaminatus, perditus, flagitiosus. Cic. *Verr.* 5, 58.  
*tutto va a rompicollo*: omnia raptim atque turbate aguntur. CAES. *B. G.*  
 1, 5.
53. SCALDALETTO: thermoclinium. Quae vox e graeca lingua: θερμαίνειν  
 et κλίνη, *calescere lectum* significat.
54. SCIUSCIA': puer, qui, pacta pecunia, viatoribus calceos atramento  
 oblitit.
55. SENZATETTO: tecti inops. —Qui propter inopiam tecti in foro per-  
 noctant. Cic. *Dom.* 30, 80.
56. SFOLLATO: qui bello urbe excedit atque commigrat in loca tuta.  
 Urbe excedere. Cic. *Brut.* 1, 15.  
 Commigrare in loca tuta. Liv. 22, 11, 5.
57. SFONDATO: *rico sfondato*: vir opulentissimus. Cic. *Tusc.* 1, 147.  
 vir locuples et pecuniosus. Cic. *Rosc. Com.* 15.
58. SPAZZACAMINO: qui caminum verrit et purgat.
59. SPOGLIARELLO: palam nudatio. PLIN. 28, 19, 2.
60. SPOGLIARELLISTA: puella quae paullatim inter spectantes cives  
 sua nudat corpora.  
 Nudare corpora inter cives. Cic. *Tusc.* 4, 33.



61. VAMP: mulier quae omni lepore et venustate affluit.  
 62. ZITELLONA: virgo aetate provectă.  
 aetate provectă. Cic. Brut. 34, 129.

## FRANCISCUS ALOISE

*Josephus M. Mir, C. M. F., Francisco Aloise, clmo. litterarum Prof., sal. pl.*

Quod tam docte tamque prudenter in reddenda latine verba operam tuam contulisti, magnopere gaudeo tibi ex animo gratulor.

Spero alias in eandem rem studiose te dediturum, ut novas, quae cotidie exoriuntur, res perspicuis appellemus nominibus.

Pauca tamen, quae infra apposui, animadvertenda —dum raptim scriba—, censi.

Vale, humanissime vir.

Die undevicesimo m. aprilis a. 1963. Barbastro.

2 *Hodiernus*. — KREBS-SCHMALZ (*Antibarbarus der lateinischen Sprache*, Basel 1905) alique negant *hodiernus* apud optimos scriptores id significare quod nos dicimus *del nostro tempo, del presente tempo*; nam «*hodiernos mores*» —«*in hodiernorum scriptorum vulgus*» non probant, ac sufficiunt «*hos mores*» — «*scriptores qui nunc, qui hodie sunt*». — Nescio an nimium subtiliter...

6. *Aliscafo*. — Tantam verborum redundantiam reprimamus oportet. — Nonne sufficeret *alatam scapham*? — Adjectivum *alatus* apud Vergilium (*Aen.* 4, 259) et Ovidium (*Fast.* 3, 415) legimus. — Neque *aliscăpha* mihi prorsus displiceret si quis hanc vocem in latinum induceret; *scapham* enim pro latina adhibent Cicero alique scriptores, licet sit a graeco deducta, neque igitur vox hybrida habenda videtur. Recole similia: *ali-pes, ali-pilus*.

7. *Aperitivo*. — Meliora habes: «*propăma, atis; potio seu gustatio aperitiva, [vinum] apertivum, gustatio, gustatiuncula*». (Cfr. BACCI, *Lexicon*<sup>4</sup> et *Pal. Lat.* 31 (1961) 200-201; 32 (1962) 277 n. 10, 467 n. 69, 70).

14. *Avventuriero*. — Mihi in mentem veniunt: «*erro mira consectans; circumvăgus eventus consectans*».

41. *Grattacielo*. — Memineris velim quae olim de hac voce scripsi: (cfr. *Pal. Lat.* 29 (1959) 148, n. 40) *Septizonium (rascacielos, - grattaciel, - grattacielo)*: cfr. «*caeliscalpium, sublimes aedes*» (COGNASSO, *Il latino*, s. v.); «*domus in nubila erecta*» (WAGNER, *Dict. Hung. Lat.*, s. v. *felhőkarcoló*); «*celsissimae illae aedes, quae caelum scabere (perficare) dicuntur. Assurgentes ad caelum ae-*

des; caelum perfricantes aedes (BACCI, *Lexicon*, s. v.). — Quae tamen locutiones, rei explicationem tantum esse videntur; quod si aedes pressius designare volumus unaque simplici voce exprimere, *septizonium* propono. «Septemzonium vel septizonium» enim dicitur «aedificium Romae alte assurgens e septem zonis seu fasciis (*cornicioni*) cinctum, quae septem veluti moles aliam supra aliam decrescendo impositas referebant» (cfr. FORCELLINIUM, s. v., et RICH, ubi vox uberius explicatur et depingitur). Cum vero numerus septimus (septem) sit numerus «absolutus et idem valet ac *multi, plures*», et «numerus septenarius perfectionem quamdam contineat» (FORCELLINIUM, s. v. *septem* et *septembonus*), *septizonium* idem est ac *multas habens zonas, fascias, tabulata*, quo multis rationibus celsissimis iis nostrae aetatis domibus convenit. Si ad hodiernas linguas designare mavis, «caeliscalpium» cum Cognasso dicere poteris».

43. *Iuke-Box*. — Conferas quaeso quae de his ac similibus verbis (*phonographium*, cet.) hoc ipso in fasciculo animadvertenda patri Caelesti censui.

54. *Sciuscia'*. — Aptane vox erit *nacca* seu *nacta*, cujus est sensus «homo sordidam artem exercens, ut fullo»? — Translate de quovis sordidissimo et vilissimo homine dicitur» (FORCELLINI, s. v. *nacca*).

58. *Spazzacamino*. — Sufficeretne *caminorum purgator*?

J. M.

# COLLECTANEA

## ORDINATIONES

### ad Constitutionem Apostolicam «Veterum sapientia» rite exsequendam

Constitutionem Apostolicam «Veterum sapientia» —qua par erat reverentia, oboedientia, aestimatione— accepimus, edidimus diligenterque illustravimus (Cfr. PALAESTRA LATINA 32 (1962) 313-331).

Postea vero cum Sacra Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus ORDINATIONES —quibus illa Constitutio Apostolica exsequi oporteret— ediderit, deque iis Ordinationibus nihil in Commentariis nostris descriptum sit, peropportunum duximus earum prooemium in lucem prodere, quo perspicue et definite continentur ac perstringuntur quae ad utilitatem ac vel necessitatem linguae latinae instaurandae spectant.

Alias ipsas Ordinationes vel earum summarium evulgabimus.

«Sacrum latinae linguae depositum, quod Petri Cathedra a primis saeculis sancte semper custodit habuitque perspicuum venustumque unitatis signum ac veritatis christianaе integre tuendae propagandaeque ac rituum sacrarum validissimum instrumentum, Ssmus. Dominus noster Joannes Pp. XXIII a neglectu et impugnationibus firmiter vindicavit, ac ratum in Ecclesia confirmatumque edixit. Apostolica enim Constitutione «Veterum sapientia»<sup>1</sup>, quam sollemni ritu die 22 Februarii sua ipsius manu subsignavit in Petriana Basilica, fundamenta jactit traditque praecepta quibus haec lingua Ecclesiae propria et cum Ecclesiae vita perpetuo conjuncta, in antiquum gloriae et honoris locum restituatur.

Quantum vero difficultatis et laboris instauratio haec praestantissima et necessaria habeat, cum ex praesenti studii ususque latinae linguae infelici conditione, tum ex locorum, temporum hominumque adjunctis, nemo equidem ignorat, eoque minus hoc Sacrum Studiorum Consilium, ut jam in Epistola ad Excellentissimos locorum Ordinarios die 27 Oct. 1957 data<sup>2</sup>, animadvertit.

---

1. Joannes XXIII, Const. Apost. *Veterum Sapientia*, 22 Febr 1962: A. A. S. LIV (1962), pp. 129-135.

2. S. Congr. de Seminariis et Studiorum Universitatibus, Epist. *Latinam excolere linguam*, 27 Oct. 1957: A. A. S., L. (1958), pp. 292-296.

At vero non difficultatibus vinci, sed eas vincere nos docet vita fidesque christiana, ubi ardui aliquid, sed nobile et necessarium est assequendum. Si quid igitur adsidui operis et laboris hac instauratione efficiendum proponitur, id erit nostris conatibus incitamentum ad eos percipiendos fructus, quos merito Ecclesia a prompto et alacri singulorum animo —at eorum potissimum, qui ad haec suo tenentur officio— exspectat, his praesertim gravissimis vitae temporibus, quibus per universale Concilium Vaticanum II ad christiani populi unitatem assequendam confirmandamque tota adlaborat. «Nunc maxime meminisse juvat —ajebat Summus Pontifex in sermone quo et Constitutionem de lingua latina promulgabat<sup>3</sup>— hujus linguae momentum et praestantiam, cum ea decurrant tempora, quibus unitatis mutuaeque populorum conjunctionis necessitas acrius sentitur, nec desunt tamen imprudentes ad eam infringendam conatus. Etenim latina lingua, a Latina Ecclesia adhibita etiam nunc potest, praesertim vero inter ejus sacros diversarum gentium ministros, magno esse usui ad animos, extinctis dissensionibus, reconciliandos. Magno et novis populis esse potest usui, qui civilem gentium consortium fidentes ingrediuntur, cum nullius gentis commodis bonisve sit peculiariter adstricta vel faveat, fons omnibus exstet perspicuae tutaeque doctrinae, sit iis ad intellegendum facilis, qui humanitatis studia peregerint, sit praecipue mutuae intelligentiae instrumentum atque magni pretii vinculum».

Edocet nos Ecclesiae historia nullis difficultatibus non praesto esse remedium, dummodo ejus necessitatis habeatur persuasio et omnium, sacrorumque praesertim ministrorum, prompta docilisque accedat voluntas ad illud adhibendum. Quod idem ipsa latinae linguae vita probat luculentissime. Jacuit enim pluries latina lingua, temporum iniquitate veluti oppressa, at rursus floruit renovata semper, cum eam tota ipsa Ecclesia quasi commune patrimonium, sanctum ac venerandum, sollicite defenderet ac strenue sustentaret.

Instaurari potuit pluries, cum magis etiam quam nostra aetate jacebat, ut, post merovingiam barbariem, potuit in Gallia per Pipinum et Carolum Magnum albescente saeculo IX; potuit iterum saeculo XII altius insurgere ac fieri mirabile Philosophiae ac Theologiae vehiculum; potuit praecipue saeculis XV-XVI ita renasci et extolli perfectissima, ut Ciceronis Augustique aetas reddita nobis fuisse videretur.

Potest igitur etiam nunc instaurari, si debitum huic studio tempus ac potiores partes tribuantur nec tot aliis obruatur ac paene suffocetur disciplinis, quae in publicis scholis succrevit; si ratio docendi magis ad illam antiquitus traditam accedat, ita ut usus loquendi scribendique latine compare-

---

3. Cfr. A. A. S. LIV (1962), pp. 173-175.

tur; si praeceptores bene parati, latinae linguae cognitione et usu experti et paedagogicis dotibus instructi, ex dissitis etiam locis — ut a latinitatis instauratoribus saepe factum esse constat— accersiti, ad hoc munus designentur; si latinae linguae exercitatio privatim et in peculiaribus scholis continetur etiam inter altiora studia ecclesiastica, et in his praescriptus hujus linguae usus religiose servetur; si omnis in ea docenda discendaque ponatur cura, industria, alacritas, quales in rebus maximi momenti et pretii solent ac debent adhiberi; si, denique, ac praecipue, summum Ecclesiae bonum spectetur et certa ac firma Summorum Pontificum voluntas attendatur eique prompta oboedientia ac debito obsequio obtemperetur.

Hoc Sacrum Consilium Seminariis et Studiorum Universitatibus prae-positum, prompto animo obtemperans mandato Constitutionis Apostolicae «Veterum sapientia», omni sedulitate accuravit hujus linguae docendae discendaeque rationem, idoneam sane ad ejus instaurationem plene et efficaciter consequendam.

Has igitur Ordinationes Seminariis, Universitatibus et Facultatibus studiorum ecclesiasticorum tradit easdemque religiose servandas praescribit».

JOHANNI XXIII  
UNIVERSALI PATRI ET MAGISTRO

UNDIQUE PASTORES VENIUNT AD LITORA TIBRIS  
ATQUE TUUM SOLIUM PONTIFICALE PETUNT.  
TE DUCE CONCILIUM PERAGUNT TE VINDICE LEGES  
CONDUNT UT VIGEANT RELIGIONIS OPES.  
GENTIBUS UNA FIDES PIETASQUE SIT OMNIBUS UNA  
CUNCTUS CHRISTICOLAS CONGREGET UNUS AMOR.  
O UTINAM NITEAS PETRI VENERANDA CATHEDRA  
GENTIBUS UT LUCIS NOCTE NIGRANTE PHARUS.

*FRANCISCUS ALOISE*

---

EPIGRAMMATA

- I. Te non tangent vermes cum tua viderit ossa:  
Vermes inter se prandia nulla tenent.
- II. Ut cineres Fuscii tetigerunt fluminis undam,  
Mortuus est piscis pulvere pestifera.
- III. Nunc lippis notum est, ut terra rotunda putetur  
Bernardo pingui non opus esse libro.
- IV. Tingit amica mea os redolente rubore genasque:  
Parcae extrema soror nam, nisi picta, patet.

*Josephus Tusiani*

EPIGRAMMA LEONIDAE ALEXANDRINI

*(Anth. Pal. IX, 354)*

Quem Mars territus ipse non cecidit,  
Nunc me interna petit lues et angit.  
Mucro, haec viscera ini; luem fugabo  
Nunc dextra moriens ut ante Martem.

## EPIGRAMMA SANCTI GREGORII THEOLOGI

*(Anth. Pal. VIII, 21)*

Margarita parva certe est, at quae gemma pulchrior?  
 Est urbs parva Bethlehemum, quae fuit Christi copax.  
 Sic eram gregis dux parvi, sed gregis vel optimi;  
 Quem precor, mi care fili, tu probe custodias.

## EPIGRAMMA DIOSCORIDIS

*(Anth. Pal. VII, 434)*

Octo dedit natos saevo Demaeneta Marti;  
 Octo tegit natos unicus ecce lapis.  
 Nec fudit lacrimas, haec tantum verba profata est,  
 «Sparta, tibi genetrix pignora tot peperit».

## EPIGRAMMA SIMONIDIS LATINAE REDDITUM

*(Anth. Graec. VII, 647)*

Sic adfata piam moriens pia filia matrem,  
 Et collo circum brachia cara dedit;  
 «Hic maneat cum patre, tuosque alat altera canos  
 Edita mox virgo, gratior illa deis».

Mancunii.

*Herbertus H. Huxley.*

## I. NELL'ARANCETO

Le ninfe d'oro  
 Offron le mammellette  
 Di tra le fronde.

Ἐν πετάλοις Νύμφαι παρέχειν καλὰ μᾶλα πέφανται.

## II. INCANTESIMO

Notte di luna.  
 Ne chioccola d'argento  
 Nelle fontanel

Οὐρανόθι λάμπη πλήθουσα μάλιστα σελήνη.  
 Ἐν πηγαῖς ὕδωρ ἀργυρέον γε ῥέει.

Scripsit: *Prof. Marius Chini*

## III. POETA

Rivo, tu canti,  
 E nessuno ti vede  
 In mezzo all'erbe.

ᾠ καθαρὰ κρήνη, ἐρπύζων ὡς καλὸν ᾄδεις.  
 Ἐν μαλακαῖς ποιαῖς ἀλλά σε δ' οὗτος ὄρᾳ.

## IV. DI NOTTE...

Una canzone  
 Nella gran pace. Forse  
 Canta la luna?

Νυχτός ἐν εἰρήνῃ τὸν ἐφίμερον ὕμνον ἀκούω.  
 ᾄδει ἀπ' οὐρανόθεν μή ῥα σελάνα μέλος;

Vertlit: *F. Aloise*

IN QUINQUAGESIMUM DIEM ANNIVERSARIUM  
BREVIS APOSTOLICI «RELIGIOSAS FAMILIAS»  
CARMEN

Vates ut olim doctus Horatius,  
nunc ipse poscor pessimus omnium.  
O dulce solamen poëtae,  
Virgo Maria, veni citato

cursu et silentem jam nimium diu  
carmen latinum barbyton edoce  
MATRI RECOLLECTAE dicandum  
cujus ego recinam triumphum.

Quis credat? Io Praesulis Africi  
normam professi, credite gaudio  
plenum diem vobis micasse:  
quinque decennia sunt peracta

ex quo magister summus et arbiter  
mundi perenni tollere gloria  
dignatus est almam Parentem,  
pulvere quae jacuit sepulta.

Totus resultet laetitia nova  
perfusus orbis dum memorat BREVE,  
quo jure pleno fit, Piorum  
Pontificum decimo probante,

alter virorum coetus Episcopi  
Hipponis. Io! Post tria saecula  
duros labores et decora  
gesta Deusque hominesque  
[plaudunt]

Septena proles incipiat Matris  
(nec cesset unquam) promere glorias,  
quae mira pro Christo pericla  
vicerit, Historia tacente!

Ergo Parenti plaudite, posteri,  
ejusque nomen dicite nobile:  
MATREM RECOLLECTORUM ubique  
carminibus celebrate dignis.

Laudate sanctum Pontificem Pium,  
hanc qui supremis juribus ORDINIS  
donavit, et complet superna  
continuo benedictione.

Tanto patrono Mater amabilis  
grates rependens, sollicita prece  
poscat RECOLLECTOS ut ipse  
protegat atque gubernet omnes.

Alto ex Olympi vertice filias  
septem benigno lumine respice,  
exempla quae jurant avita  
conspicuis renovare factis.

Quaesita nostris pectoribus bona  
et fausta per te, SANCTE PIE, afferat  
quingagesimus annus volutus,  
quem celebramus amore vinciti.

Scr. Lucronii, in Collegio Apostolico Sancti Augustini.

Fr. EUSTASIUS J. MARTIN, a V. de Columna, O. R. S. A.



# REJICULA AMOLIAMUR

Interdum accidit ut usque ad nauseam vulgares voces in quibusdam scriptis offendamus, quales sunt «interesse» pro *usura reali*, pro *verus*, *solidus* «realizzare» et aliae ejusdem furfuris.

Commutatio saepe modicam diligentiam, quae facile vertitur in consuetudinem, postulat.

**Realizzare.** — Videlicet italicam aut certe neolatinam coquinam redolet verbum «realizzare».

Num vox inducitur eo quod veteres latini hanc notionem nunquam protulerint? Quid falsius? Quid magis cum veritate pugnat?

AUGUSTINUS. — Missis illis antiquis luminibus latinarum litterarum, veniamus ad Augustinum, cujus sermo, praesertim in libris, haud minimi faciendus est.

In libro enim decimo septimo de *Civitate Dei*, capite octavo sub medio: «Sed eadem sua persona, inquit, per umbram futuri (Salomon) praenuntiabat etiam ipse Christum Dominum nostrum, non *exhibebat*». Quid sibi vult haec vox «exhibebat» quae umbrae et praenuntiationi opponatur? Fortasse, si percurras universos vocum indices etiam eos qui Bonis Auris, Vasingtoniae, Petropoli vel Trofii editi sunt magnae molis, nullus aperte dicet verbum *exhibendi* idem declarare quod italicum «realizzare». Sed quid inde efficies?

Num totam latinatatem dictionaria complectantur? Non mihi videntur. Lexicographi saepe manci sunt uti etiam grammatici. Nolo praecipitare sententiam, ut tenaciter asseverem ibi «*exhibebat*» significare idem ac «realizzare» barbaricum, at elementa perpende: *ex-habebat*. Quid autem hoc nisi quod dico?

Verum cogitavitne Augustinus elementa *ex* et *habebat* dum scribebat? Quidni? Talis ingenii granditatem nihil fugiebat. Magis perspicua est significatio duorum locorum ejusdem libri et capitis: «... ut evidenter appareat —inquit— quod in illo (Salomone) figura qualiscumque adumbrata sit, in autem (Christo) ipsa veritas *praesentata*».

Et fere continuo: «Quidni Christo videmus *impleri*?».

HIERONYMUS. — Aut Doctor Maximus hunc sermonem (*realizzare*) mente gerebat aut non omnino absimilem scribens: «Virgo, Spiritus Sancti muneribus, simplicitatem columbae in omnibus *repraesentans*» (*In festo Imm. Conceptionis*). Huc pertinet quod Concilium Tridentinum docuit, Missam esse *repraesentationem* Sacrificii Crucis, non tamen cruenta.

**Mille, Sescenti.** — Benedictinus sodalis Flander, in latinitate castigatissimus — et nonnunquam religiosior — et Pater Franciscus Wagner hujus litteraturae generis peritissimus carpunt eos qui utuntur numerandi voce *mille, milies*, pro «sescenti» quando quis numeri magnitudinem efferre vult non definitam, quod graecis est *μυρίοι, μυριάκις*.

Me vocem *mille* in brevissima Ciceronis epistula, hoc sensu memini invenisse. Utrum sit instar corvi albi annon, ignoro, sed fortasse in oratione familiari probanda est vox.

Qui plura noverit, proferat.

Quod ad me attinet rei nodum caedere tentabo.

Ciceronis temporibus et antea fuit supputandi ratio denaria (*el sistema decimal*) cujus summus numerus erat mille. Quid ergo mirum si pro «innumerabilis» dicebant «mille».

Attamen priscis temporibus in usu fuit etiam sexagenaria supputatio (*el sistema sexagesimal*), cujus summus numerus fuerit «sexcenti». Haec videtur fuisse causa cur pro «plurimi» a latinis adhiberetur *sexcenti* vel *sescenti*.

Haec et priora quasi conjiciendo persecutus sum. Faxit Deus ut multo plures quam nunc usque his rebus investigandis vacent.

Postridie nonas februarias.

BERNARDINUS FONTANINI, O. S. B.

# P E R O R B E M

**Certaminis Vaticani VI<sup>i</sup> exitum lectori significamus.** — Cum ab octo iudicibus quibus constat Consilium edendis Commentariis, qui *Latinitas* inscribuntur, nullum latinae linguae peritorum, qui soluta oratione certarent, scriptum praemio dignum esset aestimatum, prius praemium nemini est delatum; alterum *Joanni Ambrosi* adjudicatum est commentatione cui est appellatio «*In humanae consortionis vita et historia obscurus tenuiorum labor*». Laude etiam digni sunt habiti *Josephus Morabito* cujus opus est «*Joannes Pascoli et Franciscus Sofia Alessio*» atque *Sophia Brianza* cui commentatio est index «*De vita, moribus et scriptis B. Camillae Baptistae a Varallo*».

Ex ordine poëtarum aureo nummo *Olynthus Pasqualetti* decoratus est cujus poëmati est titulus «*Recentior ornithon*»; argenteo autem nomismate *Josephus Morabito* est donatus ob carmen quod «*Audax hominum genus*» dicitur.

Ex ordine discipulorum *Othonius Cantore* ob commentationem cui index «*Aliqua tandem de araneis verba*» nummo argenteo donatus est, laude vero dignus ductus est *Cajetanus Dolcimascolo* cujus commentatio appellatur «*De latinitatis institutione colloquium*».

Omnibus petitoribus de praemio vel laude qua decorati sunt ex imo gratulamur.

—Linguae latinae cultoribus —ubique terrarum sunt— septimum Certamen Capitolinum proponitur, quod —uti fieri solet— in duos ordines dispertitur: quorum alter magistrorum est, in sermone latino peritorum, alter vero altiorum scholarum alumnorum. Priores petitores soluta vel vincita oratione, alteri soluta tantum oratione certabunt. Tempus quo specimina mitti possunt Cal. Jan. anno 1964 exiit.

**Consociatio Hispanica Studiorum Classicorum Certamen Nationale** instituit ut praemio donet eos qui —a die 30 mensis Septembris anni 1961 thesım ad lauream vel anni 1962 ad licentiam— lucubrationem legerint. Necessesse est ut scripta seu argumenta ad praemium obtinendum de rebus sint classicis. Duo erunt certaminis praemia: alterum —quinque milia pesetarum— quo thesis ad lauream optima donabitur; alterum —duo milia pesetarum— quo thesis illa ad licentiam decoretur quae a iudicibus, ad hoc electis, praesantissima omnium sit aestimata.

Tempus ad scripta mittenda aptum pridie Cal. Octobres hujus anni exiit. Praemia vincentibus in sollemnissima caerimonia donabuntur.

**Paucos abhinc menses inscriptio in ipsa obelisci Vaticani basi incisa** —quae peritorum permagni interest— a cl. viro Philippo Magi inventa

est. Qui obeliscus Caji Caesaris Caligulae imperatoris jussu, ex Aegypto Romam transvectus est ut —maximum spinae circi romani ornamentum— Augusto et Tiberio superioribus imperatoribus dicaretur. Inscriptionis verba, quibus Cornelium Gallum Cnaei filium Forum Julium exegisse commemoratur quaeque doctissimus investigator Philippus Magi optime interpretatus est et illustravit, legite:

JUSSU IMP CAESARIS DIVI  
C CORNELIUS CN F GALLUS  
PRAEF FABR CAESARIS DIVI F  
FORUM JULIUM FECIT

Si de inscriptione, lector humanissime, plura — quae tibi certe maxime arridebunt vis scire, Commentarios adi quibus est index «*Studi Romani*» (mens. Jan.-Febr. anno XI, n. 1, 1963, pag. 50).

**Postremum fasciculum (n.º 38) commentariorum qui «Estudios clásicos»** inscribantur, quique Vergilio poëtae dicantur, libentibus animis salutamus. Plurima in eis eaque eximia de Vergilio invenient lectores quae jucunditate summa et eruditione eos afficient.

En summarium: A. Bail: «*De Vergilii iconographia*»; A. García Calvo: «*De carminis heroici actoribus*»; S. Mariner: «*Trajectus lora*» (VERG. Aen. II, 273); V. E. Hernández Vista: «*Prooemium casus Priami mortis: commentatio sti-*

*listica*», A. Magarinos: «*Plura de initio libri III Georgicon et Aeneidos*»; J. Jiménez Delgado: «*De Vergilii hexametro*»; V. J. Herrero: «*Vergilius et latini sermonis appellatio*»; J. A. Enríquez: «*De sermone poëtico Augusti aetate*».

**Pro Lingua Latina tutanda et fovenda** — Licet semel iterumque de re jam locuti simus — crebro certe perinde ac si surdis auribus caneremus — non dubito quin haec nuntia, quae ab amico gerundensi accepimus, tibi quoque, lector maxime futura sint cordi.

Amicus asserit latinum sermonem, cum ad plurima, praesertim quae ad disciplinas spectant, usitatus sit, vivam, non mortuam esse linguam.

En descriptio nonnullorum elementorum chemicorum: *Acidum Stearinicum* (C<sub>12</sub>H<sub>35</sub>CO); *Acidum Benzotcum* pro analysi (C<sub>6</sub>H<sub>5</sub>COOH); *Kalium Bromatum* (Br. K.)...

Congressibus lingua latina generatim, ut instrumentum fere unum communicationis internationalis, proponitur. In Conventu qui de physicis Oeniponte coactus est, cum doctissimus Pater Pujiula commentationem germanice haberet, neque vir quidam gallus

quidquam intellexeret, pater — acroasi mirante — *lingua latina* facili, venusta commentationem legit.

Anno 1959 cum ex omnibus gentibus Communistarum Juventus Viennae convenisset ut magnificentum ageret festum, in quo indumenta, cantus, chori, ritus, saltus... exhiberentur, legatus orationem auspicalem primum *latine*, postea *gallice* habuit.

—Nuper per televisionem gallicam certiores facti sumus clarissimum virum eruditissimumque poëtam et philologum hispanum Damasum Alonso doctorem «*honoris causa*» in Universitate Oxoniensi renuntiatum esse. Sol.

lemnis contio qua cl. scriptor tanto affectus est honore, *lingua latina* ab ipso Universitatis Praeside habita est. Ex quo sequitur ut *lingua latina* — quae magno nostris temporibus est usui— minime sit mortua, absoleta, immo vero floreat, vigescat...

**Humanitates Classicae apud Britannos.** — Etsi pluries artes ingenuas apud Britannos despiciatui habitas esse audierimus, litterarum tamen studia cum graecarum tum latinarum — id est antiquitatis classicae— in summo sunt adhuc honore.

Britannia igitur etiam nunc merito super-  
bire potest quod has Societates classicas vi-  
gentes habeat: *The Classical Association, the Vergil's Society, the Association for the reform of latin teaching, the Orbilian Society, the Society for the Promotion of Hellenic Studies, the Society for the Promotion of Roman Studies, et ..*

Nova vero Societas, cui «*The joint Association of classical Teachers*» est index (J. A. C. T.) quaeque a Professoribus qui in linguam latinam et graecam tradendam incumbunt componitur, creata est. Finis praecipuus Societatis est ut altius, eruditius linguis classicis juvenes omnes instituatur; quod ut assequantur sedes creata est et Consilium professorum a quibus incepta omnia sodalium in unum cogantur, et colloquia, quae sive nationalia sive regionalia habeantur, regantur. Praeterea commentarii qui «*Didascalos*» inscribuntur, edentur.

**Moderatores bene merentis Consociationis «Guillaume Budé»** — quibus laude, aestimatione, fama digna plurima hoc anno fuerunt opera, librorum editiones, colloquia aliaque multa ad studia classica pertinentia, quaeque, in Commentariis quibus index «*Bulletin de l'Association Guillaume Budé*» mense Martio hujus anni editis uberrime recoluntur (pag. 5-67)— animum induxerunt Graeciam classicam peregrinari non voluptatis causa tantum, sed studii praesertim et investigationis. Iter a die 15 mensis Julii usque ad diem 31 mensis Augusti protrahetur. Urbes, insulas, portus regionesque historicas, quae a peregrinantibus visentur, vide praecipuas: Athenas, Piraeum, Larissam, Thessalonicam, Thassum, Delphos, Patras, Olympiam, Tripolim, Spartam, Corinthum...

**Ad quadragesimum anniversarium ex quo Societas Studiis Latinis** provehendis creata est et Commentarii qui inscribuntur «*Revue des Etudes latines*» conditi sunt, sollemniter celebrandum, constitutum est ut die 12 mensis Januarii clmus. vir Julius Marouzeau digno honore afficeretur — qui per quadraginta annos Societati praefuerat, Commentarios docte, data opera curaverat et moderatus erat, commentationibusque doctrina et eruditione plenis eos illustraverat—. Ad hoc cum Conditoris Societatis opus, nomen, celebritasque longe lateque apud eos qui in litteras latinas incumbunt, nota

admodum essent, moderatoribus visum est Societatibus exteris amicisque omnibus proponere ut ad anniversarium hoc commemorandum subnotatione quadam consociarentur. Quo nomisma imagine clmi. viri J. Marouzeau ornatum effectum est quod die 12 mensis Januarii coram ducentis doctis viris, amicis et professoribus, Moderatori Societatis Studiorum Latinorum sollemni celebritate donatum est.

Oblata occasione, ut vita Societatis per quadraginta annos acta in audientium memoriam reduceretur et ut opus magnum a Conditorum perfectum describeretur, orationes habuerunt luculentas clmi. viri J. Collart praeses extens, J. Beaujeu praeses, M. Durry successor cl. v. J. Marouzeau, in conventu die octavo superioris m. Dec. acto electus; A. Perrenoud, J. Béranger et R. Schilling, A. Ernout Instituti socius qui vices gerens Societatis Studiorum Latinorum nomisma cl. v. J. Marouzeau imposuit et C. Büchner in Universitate Friburgi professor qui Moderatori Societatis doctoris philosophiae gradum «honoris causa» contulit. Ex cujus oratione latine habita haec tantum verba excerptimus: «... Mihi centum oribus opus esset si enumerare vellem quam innumerabilibus scriptis tu paene omnes quaestiones e tenebris in lucem protraheris, quo modo certissimo ju-

dicto atque humanitate benevola rem publicam litterariam temperaveris».

Quibus orationibus cl. J. Marouzeau verbis gratulatione, comitate, commotione plenis responsum reddidit aptissimum.

—Certiores lectores facimus Societatem Studiorum Latinorum in posterum ita constitutam esse:

*Praeses:* cl. v. J. Beaujeu, Insulis Litterarum professor.

*Pro-Praeses:* cl. v. R. P. Hubert Saulchoir in disciplina Theologica professor.

*Administer Societatis et Commentariorum moderator:* cl. v. Marcellus Durry in Universitate Sorbonensi professor.

*Negotiorum curator generalis:* cl. v. L. Nougaret in Lyceo Jauson-de-Sally professor.

*Curatrix a rationibus:* cl. f. S. Nougaret.

**Tertius de latino sermone vivo, usu, reddendo conventus** in Universitatis aedibus Argentorati a die secundo ad quartum m. Sept. hujus anni congregabitur. Quod concilium —summo Studiorum Praefecto Galliae probante— doctissimus v. Petrus Grimal in Universitate Sorbonensi Professor moderabitur. Congressus argumentum ita exprimi potest: *Qualia futura latini sermonis sint tempora?* Hae sunt commentationes: 1) *Lingua latina communicationis scientificae instrumentum;* 2) *De hodiernis ad institutionem latinam rebus auxiliaribus;* 3) *Lectiones Latinae, res de antiquitate, de medio aevo, de nostris temporibus;* 4) *De lectionum Latinarum ad institutionem utilitate.*

**Occasione Feriarum celeberrimarum quae Valentiae —in Hispania—** quotannis die Sancti Joseph festo aguntur, quibusque plurima opera atque artificia ex materie, gypso, charta spissiore variisque aliis rebus extruuntur, —quasi rationem diceret humanam et jucundam res publicas laudandi vel facete vituperandi— mirificam hoc anno singulari arte fictam equi molem praebuerunt Valentini artifices, equum illum Trojae imitantes et exprimentes, quem *instar montis divina Palladis arte ductores Danaum olim, ut Ilium everterent, aedificarunt.*

Qui equus in *Supremi Ducis Area* —quasi in ipso diceret urbem corde— fabricatus, ita fuit immanis ut quinque et viginti metra altus, decem longus, decemque quoque esset latus. Scalis praeterea longissimis ad ingentem machinam ascendere poterat, cujus in alvo non occultabantur, ut aliquando, Achivi, sed thermopolium aptatum erat jucundissimum ut intrantibus, pretio minimo, provideretur.

**Climus. vir Josephus Ramírez Vázquez, Vallisoleti natus,** primus discessit victor in certamine illo quod «*a quingentis pesetis ad quinque milia pesetarum*» («*de 500 a 500.000*») inscripto, ab auctore eruditissimo viro Josepho Aloisio Pecker, per televisionem hispanicam singulis hebdomadis editur.

Ex doctissimis viris qui praemio cupidi televisionem adierunt, cl. vir Josephus Ramírez omnibus partibus superior fuit, cum ad singula de Hannibale duce facta optime, scite, facillime responsum daret. Quo quidem

praemio ut ornatus esset, multum sudavit atque laboravit, multaque de Ovidio, Plutarcho, Livio ceterisque scriptoribus classicis legit, libros alios de geographia et antiquitatis historia volvit permultos.

### **Animam reddiderunt**

—cl. v. Renatus Durand litterarum latinarum cultor et professor, cujus nobilitas, moderatio, naturalis auctoritas, singularis doctrina, docendi ars mirifica ab omnibus merito perpenduntur.

—Jacobus Zeiller ex plurimis commentationibus magnique momenti lucubrationibus apud omnes qui latinitatem colunt, notissimus.

—Ernestus a Faria cujus obitu virum amissimus in disciplinis peritissimum, latini sermonis auctorem et propugnatorem integerrimum, latinarum litterarum in Universitate Brasiliensi doctissimum magistrum. Legatus Brasiliensis per Galliam, Lusitaniam, Londinium, Hafniam, ut conventibus adesset, peregrinatus est.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

# BIBLIOGRAPHIA

*Encyclopédie de la Mythologie.* — Preface de P. Grimal, Professeur à la Sorbonne. Editions Sequoia, Bruxelles, 1967, pag. 226.

Liber amplum mythorum conspectum nobis profert qui ubivis pullulabant in religiosa pristinatorum mente; haud nos paucis docet de fidei cultuumque origine; ansam nobis praebet, qui in familiaritatem veniamus eorum olim deorum, quibus nomina Zeus, Juppiter, Donar-Thor, cet.

Nusquam intincta taedio, ut plurimum jucunda, usque documentis suffulta, Encyclopaedia haec Mythologiae tanquam magistra, lepore doctrinaeque plena, cui quidem magno animi profectu operam dabunt et discipuli et sapientes in humaniorum litterarum provincia.

Ibi 1500 dii et heroes mythologiarum graecae, romanae scandinavaeque recensentur; plus 150 imaginum exprimuntur, missis octo extra textum. In «Collection Références» est tomus quartus, inter alias maximi momenti Encyclopaedias.

Editio hujus operis primigenia, Amsterlodami comparata est, hac inscriptione: *Elseviers Mythologische Encyclopedie*, cui exarandae operam sedulam navarunt clarissimi Professores André van Aken, Luce Botte, Margo Leeman. Huic autem gallicae editioni appositam de re praefationem rettulit nobilis vir P. Grimal, in Sorbonnensi Universitate Professor. En tibi operis partitio: I. Mythologia classica. II. Mythologiae germanicae et scandinavae. III. Mythologia et lingua.

A. MARQUÉS, C. M. F.

*Petronii Arbitri Satyricon.* — Cum apparatu critico edidit Konrad MÜLLER. Ernst Heimeran Verlag, Muenchen, pag. LX-212.

Propositum clarissimi auctoris, Professoris C. Mueller, est tantum «criticum», in hoc opere petroniano edendo. Liber autem hic nihil aliud est nisi quaedam «introductio».

En ipsa tibi praefationis verba: «Petronii textus quot quam varios casus expertus us-

que ad nostram aetatem pervenerit atque codicum singulorum quae sit fides et auctoritas et inter se ratio, quia libro quodam quem prope diem editum iri spero cum cura exposui, pauca, quae eos qui hac editione utentur scire oportet, inde excerpta et in breve coacta hic repetam».

Porro operi plus quinquaginta solidae eruditionis ingentique paginae praecedunt, de codicibus eorumque historia et adjunctis. Consequitur mox latinus textus de Satyricon, apparatu critico ornatus. Tum vero XXX fragmenta religiose colliguntur. Index nominum accurate opus finit.

Profecto artis criticae litterariae amanti- bus, ejusque rei cultoribus, in primis opus ab egregio humaniorum litterarum magistro exaratum, commendandum, qui quidem et complementum, jam promissum, pluri- facient.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

MALTEN, LUDOLF. — *Die Sprache des menschen Antilizes im fruhen Griegentum.* Walter de Gruyter et Co. Berlin W. 30, pag. 66

Hunc scitissimum libellum «unus» dices notionis seu ideae: etenim argumentum omnino circumscriptum est: Vocabulum *vultus* humani apud antiquos graecos. In sex partes lucubrationem clarus scriptor dividit: I. Fundamentum, a) *facies* apud graecos, germanos, latinos, orientales populos; b) significatio numeri pluralis ad partes corporis nuncupandas (pp. 1-8). II. *Oculus* in carmine epico: Homerus, Hesiodus, Hymni homerici (pp. 9-15) III. *Oculus* in poesi melica (pp. 16-21). IV. *Oculus* in poemate dramatico (22-31). V. *Oculus* apud philosophos (32-45). VI. *Hellenicus oculus*: oculus et frons; oculus ut animi motus signum; oculus dei et hominis in litteris; oculus dei et hominis in artibus; oculus et artifex, oculus et regio; oculus in sua significatione apud antiquos Graecos; oculi principatus apud veteres, oculus in recentioribus disciplinis (pp. 46-66).



Monographia maximi quidem ponderis de nobili hominis parte juxta classicorum mentem. Philologum, philosophum, aestheticum virum facile in opusculo perspicias ejusque laborem laudabis.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

KABELL, AAGE. — *Metrische Studien*. II. Antiker Form stichnaehernd. Uppsala Universitets Arsskrift 1960: 6 — Acta Universitatis Upsalensis—. Uppsala, Ab Lundequistska Bokhandeln, pag. X/275.

Historia formarum classicorum versuum, ex clari hujus libri auctoris sententia, est ab ineunte medio aevo materia longe difficilissima in campo philologiae. Quae quidem difficultas, in proemio argute explicatur a clarissimo viro A. Kabell, dum et propositum libri definit a se conscripti (pp. VII-X).

En tibi operis brevis conspectus: I. «Labyrinthus» (difficultates) (pp. 1-11). II. Prosodiae mutationes (pp. 12-24). III. Quo pacto versus legi debeant (pp. 25-46). IV. Rhythmica versuum «vita» (pp. 47-87). V. De transitione in linguas vernaculas (pp. 88-118). VI. Scholae praecipuae antiquitatis (pp. 119-204). VII. «Schediasma» de substitutione (pp. 205-234). VIII. Scientiarum ruina barbarorumque triumphus (pp. 235-264). Denique scriptorum indice finitur opus (pp. 265-275).

Versuum historia disciplina est in qua sibi praestolantur seseque adjuvant et philologia et litterarum historia. De his omnibus bene quidem meruit clarus vir A. Kabell, cum hunc densum et laboriose exaratum librum sapientibus obtulit. Quod bono suo omne procedat doctisque probetur.

MARIOTTI, ITALO. — *Introduzione a Pacuvio*. Pubblicazioni dell'Università di Urbino. Serie di Lettere e Filosofia, vol. XI. S. T. E. U., Urbino, pag. 90.

Inter poetas tragicos latinos eminet M. Pacuvius, qui ex sorore Ennii natus est Brundisii, anno CCXX a. Ch. n. Teneris ab unguiculis Romam ad avunculo adductus, non solum in tragoedias exarandas totis viribus incubuit, sed haud minore diligentia et industria pingendi artem exercuit.

Tredecim tragoedias contexuit, cunctas palliatas, praeter unam praetextam. Ut plurimum, praeclarissimos scriptores graecos, Sophoclem, Euripidem, Aeschilum imitatus, plus minus feliciter, est. Non rerum copiam, sed animi motionem, loca et res graphice depicta sermonisque vim in Pacuvio admiramus. Eum Cicero summum tragicum romanum vocat.

Jam vero, latinum hunc scriptorem in grammatices curriculo, in Universitate Urbiniensi, clarus Professor I. Mariotti olim explicavit: ex quo et libellus «Introduzione a Pacuvio» ortus est.

Magnis scilicet calami tractibus atque fluenti sermone, proposito consilio, disserit magister de vita M. Pacuvii, de ejusdem operum reliquiis, de singulis tragoediis, de auctoritate seu authenticitate, de lingua, de fortuna. Brevissima refert bibliographica monumenta, finemque imponit libro cum locorum verborumque indice. In libro scribendo, latinitalis Professor illud, quod in ejusdem Pacuvii epitaphio scriptum est, meminit: «Adulescens, tametsi properas, hoc te saxulum rogat ut se aspicias, deinde quod scriptum est legas. Hic sunt poetae Pacuvi Marci sita ossa: hoc volebam nescius ne esses. Vale».

A. MARQUÉS, C. M. F.

CAILLEUX, ANDRÉ et KOMORN, J. — *Dictionnaire des racines scientifiques*. Société d'Édition d'enseignement Supérieur. 5, Place de la Sorbonne, Paris, 5<sup>e</sup>. pag. 246.

Hoc Dictionarium, a claro Professore in «Facultate Scientiarum» Parisiensi A. Cailleux, collega vero J. Komorn adjutore, exaratum, his in primis commendatur, qui altius callere intendunt vocabula technica usurpata in «scientificis» quae vocantur «purae vel applicatae»: mathesis, astronomia, physica, chimia, biologia, medicina, zoologia, botanica, geologia, mineralogia.

Saeptius sensus vocabulorum, quae a sapientibus adhibentur, maxime concordat — quod facile comprobatur — cum sensu etymologico. Ex quo lexicon hoc utilissimum erit, non tantum magistris et in quaqua reperitissimis, verum etiam scholasticis omni-

busque «scientiae» cultores. Memoriae pen-  
sum commodius retinetur cum vocabulorum  
etymologia in conspectu est.

Radices singulae hic adhibentur prout in  
vocibus gallicis apparent. Atque in dictiona-  
rio exstant praefixa, suffixa, desinentia usi-  
tata, latina, graeca, anglica, germanica. Mag-  
no opere lectoribus hoc lexicon commenda-  
tum volumus, quo quidem instrumentum vel  
adminiculum scientifici laboris luculentum  
ad manus semper habebunt.

GEIST, DR HIERONYMUS. — *Pompeianische Wan-  
dinschriften*. Zweite erweiterte Auflage  
unter Mitarbeit von Dr. Werner Krenkel.  
Ernst Heimeran Verlag, Muenchen.

Quadringentae admodum scriptiunculae  
latinae hoc in libello colliguntur, totidem re-  
ferentes inscriptiones parietarias in pristina  
urbe Pompejis tanquam e ruderibus nunc  
orta. Cura sollertiaque Doctoris Geist, comi-  
te Doctore Krenkel, in melius comparata est  
editio haec altera, qua quasi manu ducitur  
lector curiosus per archaeologicas Pompejo-  
rum ruinas.

Inscriptiones vero parietariae, aptius ex-  
positae atque in germanicum conversae, ordi-  
ne notionum congeruntur, eaeque singillatim  
numero insigniuntur, ut nullo fere negotio,  
quidquid quaeris, inventri possis.

Notiones vero praecipue hae: Delectus  
optiones, gladiatorum ludi, nuntii, ancipites  
nomenclationes, salutationes, vota, amor,  
potus, cibus, ludus, schola, res familiares,  
officia... Uni cuique scilicet inscriptioni nu-  
merus adjungitur, quo in CIL (*Corpus Inscriptio-  
num Latinarum*) insignitur. Ope tabulae  
pictae singulae inscriptiones latinae in regio-  
nali indice coaptantur.

Omnes hujus libri Inscriptiones prostant  
in CIL IV. De hoc autem vero monumento  
linguae latinae in provincia potissimum ar-  
chaeologica, haec recole: *Corpus Inscriptio-  
num Latinarum*, volumen quartum edidit C.  
Zangemeister, Berlin 1871; voluminis quarti  
supplementum: pars prior: Tabulae ceratae  
Pompaeis repertae editae a C. Zangemeister.  
Berlin, 1898; pars posterior: Inscriptiones pa-  
rietaryae et vasorum fictilium editae ab A.

Mau, Berlin, 1909; pars tertia: Inscriptiones  
pompejanae parietariae et vasorum fictilium.  
edidit M. Della Corte, Berlin, 1952, 1955.

ILD GONZALEZ, C. M. F.

FALTNER, MAX. — *M. Tulli Ciceronis Laelius de  
Amicitia, ad T. Pomponium Atticum*. Text  
und Uebersetzung. Tusculum Buecherel.  
Heimeran Verlag, Muenchen 1961, pag.  
208.

Liber hic quasi florilegium dicas seu an-  
thologica de amicitia a clarissimo Professore  
M. Faltner concinnatum; ejus vero nucleus,  
nobilis Ciceronianus dialogus «Laelius de  
Amicitia» cum congrua germanica versione;  
optimo tamen consilio alii loci de amicitia hic  
adjunguntur. In primis viginti paginae com-  
pleantur xenophontei fragmentis (*Memorabilia*  
II, 4-6), hinc graece inde germanice, qui-  
bus de amicitia agitur. Ex quo facile et paral-  
leli ciceroniani loci delibari possint.

Tum alii de amicitia loci eduntur, ex ope-  
re «De finibus bonorum et malorum excerpti  
(I 20, 65-70; II 24-27; III 21; V 24). Quattuor-  
decim sunt paginae textus latini, cum appo-  
sita germanica interpretatione

Appendix autem maximi momenti. Intro-  
ductio de Ciceronis vita ejusque «de Amicitia»  
opere (pp. 121-134) Ad hoc frequentes,  
cum alumnis tum magistris perutiles annota-  
tiones (pp. 169-187). Index bibliographicus,  
editionum, versionum (pp. 178-191); et nomi-  
num index peramplus (pp. 192-206). Paucis,  
pulcher de Amicitia libellus omnium quidem  
plausu dignissimus. Utinam hoc argumentum  
de amicitia amplius a clarissimo auctore, rei  
quidem studioso, in bonarum litterarum pro-  
vincia diligentissime exploretur, nobis qui  
novos flosculos donet.

PHILOPONUS, C. M. F.

TEMPINI, OCTAVIO. — DEL COL JOSÉ M. — *Sin-  
taxis latina de la oración simple*. Curso teó-  
rico-práctico. Editorial Don Bosco, 4.053,  
Buenos Aires 1962, pag. XVI-350.

Doctrina et usus linguae latinae aequae in  
mente consilioque sunt clari auctoris. Libri  
scilicet subjecta inscriptio rei apte quadrat:  
*Curso teórico-práctico*. Jam vero totam synta-

xeos propositionis simplicis materiam novem et decem capitibus definit, hisque mira varietate refertis. Brevis praeit grammaticae normae explicatio, abundans consequitur rei exercitatio. Nusquam deficiunt «conversio», «thema», «colloquium latinum».

Hinc inde «nomenclatura et phraseologia», atque ea selecta, intericitur facili negotio alumno addiscenda. Compositio vero latina brevibus facilibusque fabellis, acuminis ut plurimum plenis, alumnorum mentibus quasi instillatur atque infigitur.

Utinam et alia syntaxeos pars, id est «propositio composita», opus magistri latinitatis Del Col quam citius in vulgus edatur. In prologo jam nobis spem facit hujus modi operis auctor, qui quidem de latinis litteris optime erit meritus.

ILD. GONZÁLEZ, C. M. F.

J. J. M. ZONNEVELD, O. Carm. — *Angore metuque*: Woordstudie over de Angs in De rerum natura van Lucretius. Dekker et Van de Vegt N. V. Utrecht-Nijmegen, pag. IX-208.

Perpenduntur in hoc volumine verba quibus angor et metus exprimuntur in libro *De rerum natura*, quem Lucretius exaravit. Superioribus annis Lucretianum opus *De rerum natura*, ad potterem fidem manuscriptorum redditum, a multis sapientibus explicatum est. Haud pauca enim opera, ratione historica, philosophica, psychologica, nuper edita sunt.

Clarus Doctor Zonneveld monographiam nobis praebet de vocabulis «angore metuque» in libro *De rerum natura*. Dolor, et ipsa «angustia», ex Lucretii sententia, quaedam quasi perturbatio est atomorum, earum in primis quibus animus conflatur. Vibratio harum animi atomorum expanditur etiam per atomos corporis et animae: ex quo homo contremiscit atque expallescit.

Locutiones igitur de angore metuque, trutiniae subduntur, quo rem facilius, juxta Lucretii mentem, detegamus. Sicque expenduntur voces: «finem cupidinis atque timoris; in amore anxius angor; cupidine curae; dolor absit; cura metuque; dolorem curas metumque; metus-pavor-terror-horror; patrius pa-

vor; mors aeterna; aestus material; metus in vita poenarum; inanis metus divum».

Ampla de re bibliographia praecedit, in primis vero de operibus Epicuri et Lucretii, auctorum in re maxime concordantium.

A. MARQUÉS, C. M. F.

MEYER, ERNST. — *Roemischer Staat und Staatsgedanke*. Artemis-Verlag, Zuerich und Stuttgart 1961, pag. 568.

Iterum in lucem editur haec Romanorum historia, a claro Professore E Meyer composita. Novum volumen est in nobili illa «Erasmii-Bibliotheca», cujus est quaquaversum humaniorum litterarum studium aestimationemque diffundere, id magnopere curante officina libraria «Artemis-Verlag».

Explanato in introductione proposito (pp. 7-10), quattuor in capita totum opus rite dividitur. I. Origenes primaque incrementa, praehistoria et regum tempora, res publica (pp. 11-104). II. Forma et notio: 1) magistratus romani; 2) munera; 3) populus et civitas; 4) senatus; 5) ordines; 6) imperii administratio et exterae gentes; 7) notiones de re politica (pp. 105-274). III. Transformatio et dissolutio (pp. 275-351). IV. Orbis terrarum imperium ejusque finis (pp. 352-440).

Extrema operis pars est maximi momenti, id est appendix, ubi fusius de bibliographia, de praecipuis argumentis, de nominum rerumque indice (pp. 441-567).

Opus quidem commodum, immo vero etiam necessarium, ad notionem plenam eamque criticam habendam de historia, institutis, moribus Romanorum, a vero harum rerum perito viro exaratum ac perpolitum.

ILD. GONZÁLEZ, C. M. F.

MOREAU, JACQUES. — *Das trierer Kornmarktmosaik*. Monumenta Artis Romanae. Verlag M. Dumont Schauberg, Koeln.

«Monumenta Artis Romanae» eduntur cura cl. virorum H. Kaehler et J. Moreau. Tomus primus, «Die Augustusstatue von Primaporta», paratus est ab H. Kaehler. Hic tomus secundus, a J. Moreau Tertius vero, «Das Ehrendenkmal fuer dem Forum Romanum», ab H. Kaehler.

Hoc autem opere, historia et archaeologia duce, intendunt auctores explicare sensum religiosum nobilitis illius mustvi, cui nomen «Kornmarktmosaik», vel etiam «Leda, — Dioskuren—, Mysterienmosaik». Repertum est hoc mustivum mense augusto anni 1950, ex quo tempore variae diversaeque sapientium sententiae de ejus significatione prodierunt.

Clarus Doctor J. Moreau de mustvi interpretatione erudite egit apud «Société Renan, Paris», apud «Société d'Études Latines de Strasbourg», et anno 1958, apud «Universitätsbibliothek Berlin und Heidelberg». Quae ibidem ex inquisitione et controversia enucleata sunt, ea in hoc volumine collegit scriptor, quae et historia et archaeologiae arte altius collustrentur.

Sex et viginti prostant amplissimae paginae in quibus mustivum scienter explicatur. A pagina septima et vicesima ad tricesimam secundam, de brevitationibus, notulis, tabularum indice praecipua afferuntur. Altera vero libri pars collectio est pulchrarum tabularum — multiplici ratione mustivum ostendentium — et absoluta arte typographica composita et digesta.

PHILOPONUS, C. M. F

C. Julius Caesar. *Der Gallische Krieg*. Lateinisch-deutsch ed Georg DORMINGER. 1. Auflage 1962. Ernst Heimeran Verlag, Muenchen.

Haec critica editio «De Bello Gallico» maxime commendanda est his in primis qui latinam linguam tradunt. Textus latinus ad limam artis criticae exactus est ab egregio Professore G. Dorminger. Ut plurimum, Teubneriana princeps editio adhibetur, interdum tamen alia proponitur lectio.

Lectiones variae quattuor nobilium editionum, scilicet K, F, C, T, diligentiam solertiamque auctoris patefactum (pp. 487-514); quas editiones, in lectoris commodum, innuimus: K = C Juli Caesaris commentarii belli Gallici, ed. A. Klotz Ed. IV. 1957 Teubner. — F = C. Julius Caesar. Commentarii belli Gallici, ed. H. Fuchs Ed. Helvetica. — C = César. Guerre de Gaules. Ed. VI par L.-A. Constans, 1958, Société d'éditions, «Les Bel-

les Lettres», Paris. — T = Tusculumausgabe im Ernst Heimeran Verlag, Muenchen 1961.

Ex his hujus «Editionis Tusculanae» momentum dignosci potest. Septem vero libris C. J. Caesaris, quibus ejusdem opus finitur, octavus adjungitur, ab Hirtio, Caesaris collega, conscriptus. Si non ejusdem sermonis caesariani, historiae saltem praestantia studiosis aestimanda erit. Notis fere quadringentis latinus textus explicatur, praemissa accurata versione germanica. Denique non nulla de libri inscriptione, de textus conformatione, de confectione Commentarii belli Gallici, de bibliographia proponuntur.

PAREDI, ANGELO. — *S. Ambrogio e la sua età*. Seconda edizione ampliata, XXXII tavole fuori testo di cui una a colori e 22 illustrazioni. Editore Ulrico Hoepli. Milano, pag. IX 560.

Rem auctor luculente exprimit: «Questo volume fu scritto per essere letto». Atque enim vero vel voluminis, externa forma lectorem allicit ad legendum, ad vorandum dicerem, librum. Ars typographica, pictura, argumenti praestantia, dicendi genus, haec omnibus quidem numeris absoluta, librum clarissimi viri A. Paredi honestant, domumque Editricem quam plurimum commendant.

Capitum solummodo indices expromam: I. Treveri (pp. 1-16). II. Roma (pp. 21-86). III. Sirmio (pp. 95-126). IV. Milano (pp. 131-154). V. L'elezione episcopale (pp. 157-182). VI. Le vergini (pp. 189-211). VII. La morte di Satiro (pp. 217-243). VIII. Antiaranesimo (pp. 247-278). IX. L'azione politica (pp. 283-298). X. Antipaganesimo (pp. 301-327). XI. La lotta con la corte (pp. 331-353). XII. La sua parola (371-384). XIII. La conquista più bella (pp. 389-408). XIV. La penitenza di Teodosio (pp. 413-431). XV. Il moralista (pp. 437-458). XVI. Musica e poesia (pp. 463-477). XVII. L'esilio (pp. 483-504). XVIII. Il santo (pp. 509-523). Singulis capitibus adnotationes subduntur: quo, dum argumenta ampliantur firmanturque, haud facile narrationis cursus interrumpitur.

Ut operis corona adjunguntur: opera Sancti Ambrosii, chrenologia aetatis ambrosianae, index nominum, index tabularum pictarum. Opus de Sancto Ambrosio diceret perfectum, quod multo certo juvabit.

ILD. GONZALEZ, C. M. F

HEMPEL, DR. HEINRICH. — *Gotisches Elementarbuch. Grammatik, Texte mit Uebersetzung und Erlaeuterungen. Sammlung Goeschen, Band 79-79a. Walter de Gruyter et CO. Berlin 1962, pag. 166.*

Inter germanicas linguas exstat gothica in germanico vero orientali longe prima ad grammaticam comparatam perficiendam. Ut nunc quidem est, provincia haec germanicae linguisticae mortua manet, etsi ad nos usque transmissa est Sacrorum Librorum gothica translatio (s. IV p. Ch. n.), a clarissimo viro Ulphila exarata.

Novum hoc volumen, in corpore «Sammlung Goeschen», a nobilissimo Dre. Henrico Hempel compositum, grammaticam nobis gothicam praebet, prout recentissima rei scientia explicatur. Selectus admodum litterarum index, cum breviationum ostitia, praebet. In introductione vero de Gothicis, de Ulphila ejusque Sacrorum Librorum interpretatione, de ceteris linguae gothicae monumentis, de gothica scriptione non nulla scitius perstringuntur.

Tum grammaticae cursus eruditus ostenditur, linguistica recentissima duce. Deinde selectio textuum Biblicorum (*Mat. VII-VIII et XXVI; Marc. X-XI; Luc. IX; Joan. VIII; Cor. VII-VIII; Neh. V-VII*), qui hinc graece, inde gothice commodantur, una cum scientificis notulis. Neque alia desunt, minoris autem pensis, documenta.

Indice denique vocabulorum opus aptius absolvitur. Et conspicit Professoris Hempel in re auctoritas, et tertia in melius reddita libri editio, firmissimum sunt in operis laudem argumentum.

A. MARQUÉS, C. M. F.

HUMBERT, JEAN. — *Manuel pratique de grec ancien. Collection «Connaissance des langues», sous la direction de Henri Hierche. Éditions A. et J. Picard et Cie. Paris 1962, pag. 232.*

Huiusmodi operis propositum est fundamentum instituere ad classicos antiquitatis scriptores penitus cognoscendos. Hi qui hoc libro utantur praeviam linguae cognitionem habere non debent, tam ex sese opus ipsum

perficitur et explicatur. Cum in suo genere, tum in conscriptionis ratione, Manualis hic liber est longe praestantissimus a claro viro J. Humbert linguae graecae magistro exaratus. Theoria et usus inter se junguntur, quod in linguarum disciplina desideratissimum semper fuit.

Libri vero finis in introductione luculenter perspicitur. Non nulla linguae elementa praelibantur. Mox Dialogus Luciani Mortuorum X singillatim explicatur, analogica et syntactica analysi duce. Eadem ratione Xenophon (*Anabasis III, I 4 47*) alumno graecitatis exponitur. Itemque Plato (*Res publica I 328 B-331 E*) analysi subditur.

Atque res perficitur illo quo dicitur «Memento» de re grammatica, et allatorum textuum conversione, et graeco indice et gallico. Alumnis linguae graecae et magistris liber commendandus, quo quidem litterarum graecarum — quae occidentalis cultus sunt quasi fons —, mira monumenta degustari animo poterunt.

PHILOPONUS, C. M. F.

SCULLARD, HOWARD. — *A History of the Roman World, from 753, to 146 B. C.* Methuen et Co. LTD, 36 Essex Street, Strand, W. C. 2 London, pag. XVI-480.

Quartum est volumen in nobilitate illa editione «Methuen's History of the Greek and Roman World», septem solidis admodum voluminibus conflata. Egregius operis auctor est Professor Historiae Pristiniae, in Londinensi Universitate. Ejus vero propositum romanae gentis historiam proponere, ab anno 753 a. Chr. n. ad usque annum 146 p. Chr.

Ac profecto volumen hoc «criticam», ut ajunt, et maxime eruditam narrationem praebet Historiae Romanae, a remotissima quidem aetate ad magnum Romanorum Imperium. Ibi amplius agitur de civica militarique Romanorum vita; de consuetudine sociali et oeconomica illius temporis; de gestis romanis in artis, litterarum, religionis provincia. Tertia hac editione liber in melius est redditus, ex superioribus monumentis a clarissimo auctore propositis.

Quattuor autem in ampliores partes volu-

men dividitur: I. Roma et Italia. II. Roma et Carthago III. Roma et mare Mediterraneum. IV. Romanorum vita et cultus.

Ad hoc plus sexaginta sequuntur paginae, appendicis instar de multis historico aestimabilibus rebus, de chronologia, de selectiore bibliographia cum luculento propriorum nominum indice. Denique tabulae tres geographicæ rem totam illustrant intellectuque faciliorem reddunt.

THOMSON, GEORGE. — *The Greek Language*. W. Heffer et Sons LTD, Cambridge, pag. 102.

In hoc libello quasi in unum redigit praeclarus auctor totam rem trium curriculum, quae in Universitate «Birminghamiae» ipsemet profitetur: elementaris cursus, Philologiae Indae-europaeae cursus, cursus historiae sermonis. Res vero sic tota est disposita, ut commodius alumnus lectioni operam navare possit.

Summa grammatices graecae praemittitur: de categoriis grammaticis, de re linguistica ejusdemque commutatione, de alphabetis, de phonologia, de declinatione, cet.

Lingua tum graeca exponitur: graecus sermo praehistoricus, classicus, hellenisticus, byzantinus, hodiernus. De unoquoque autem genere textus seliguntur et explicantur.

Magno quidem opere commendantur sexdecim, quasi synopticae, tabulae de rebus in libello actis, ubi ante oculos argumenta potiora ab insigni graecitatis magistro ponuntur. Ad unumquodque denique caput selecta bibliographia additur.

A. MARQUÉS, C. M. F.

LUSCHEY, HEINZ. *Funde zu dem grossen Fries von Pergamon*. Verlag Walter de Gruyter et CO., Berlin 1962. pag. 42

Fasciculus hic est 116/117, in archaeologico programme Societatis Archaeologicae Berolinensis. Scilicet. «Winckelmannsprogramm der archaeologischen Gesellschaft zu Berlin». Editus vero est studio atque cura praeclari Professoris Lushey; et nobis expromit inventa in magnis zoophoris civitatis Pergamensis.

En tibi libelli argumenta: I. Aphrodita.

Octo daedalicæ picturae, cum accommoda explicatione technica scientiae archaeologicae. II. Pulcra capita. Octo species capitum affabre factorum, quorum additur explicatio. III. Hephaistus (Vulcanus). Septem picturae rationis variae: dorsa, adumbrationes. Quibus artis technicaeque disciplinae notiones interferuntur.

Iisque additamentum, idque graphicum et scriptum, de zoophoris Telephi. Non nullis autem explicationis notis atque annuae relationis conspectu — a. 1960 et 1961 — Societatis Archaeologicae Berolinensis, totus fasciculus perficitur. Cui quidem edendo nobilis Officina libraria «WALTER de Gruyter» summa usa est arte typographica.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

GREIFENHAGEN, ADOLF. — *Antike Kunstwerke*. Ehemals Staatliche Museen Berlin Antikenabteilung. Walter de Gruyter et CO., Berlin.

Admodum centum tabulae pictae, atque cae summa prorsus arte typographica excusae, medullam ejus modi libri constituunt. Pristina scilicet ars pictoria, plastica, statuaria quasi ob oculos ibi splendide proponitur miranda temporibus nostris. Hic illud viger: Monumenta aere perenniora.

Clarus Professor disciplinae archaeologicae, Doctor A. Greifenhagen, calamo facili agillique ingenio rem curioso detegit, qui quasi diceret totam vitam in antiquitate classica investiganda consumere.

Ibi sculpturae primores, tabulae 1-3; aera selectiora, tabulae 4-16; attica vasa varia et daedalica, tabulae 17-77; hellenistica vasa, tabulae 78-83; vitra nobilissima, tabulae 84-86; ebur Triereum, tabula 87; ornatus laboresque in nobilibus metallis, tabulae 88-97; simulacra tandem romana aetatis caesareae, tabulae 98-100.

Vere hoc libro cultores artis, in primis archaeologicae, multa discunt, multa animo menteque degustabunt. Cum auctoris peritia, tum artis graphicae perfectione maxime opus commendatur.

A. MARQUÉS, C. M. F.

VOSSEN, PETER. — *Der Libellus Scolasticus des Walther von Speyer*. Walter de Gruyter et CO., Berlin. pag. XVI-212.

Agitur in hac monographia referturque de rebus scholasticis, ab anno 984 p. Ch. n. Illis quidem temporibus in schola Cathedralis Speyerensis latinis litteris imbuebatur alumnus Waltherius qui, subdiaconus factus, vitam Sancti Christophori sex libris, hisque hexametris versibus, exarat. Isque deinceps latinitatis cultor novem et viginti capitibus librum conscripsit, cui titulus: «Vita et Passio Sancti Christophori Martyris», sermone soluto. Atque scripta ejus modi ad nos usque codices transmisere.

De ratione, in primis semantica, latinorum vocabulorum ea aetate non nulla argute disseruntur in introductione hujus operis, a praeclaro Professore P. Vossen comparati. Propositum autem primum auctoris interpretatio est primi libri poeticae vitae S. Christophori, cui inscriptio: «Incipit Primus Libellus De Studio Poete, Qui Et Scolasticus».

Textus latinus, 270 versuum, ad codicum fidem editur. Cui conversio germanica consequitur. Corpus tamen seu moles hujus libri (pp. 57-212) eruditus constituitur explicationibus, quas quidem dices codicem interpretationis sermonis «latini vulgaris» in via romanicarum linguarum.

Illa extrema advocacione, specimenis gratia, his finem ponimus: «At nos, Christofore, placido si conspicias ore / Atque tuos scribas vultu ridente serenas, / Non secus ac sicci repetant si pocula cervi, / Ad tua tendemus alacres insignia cursus».

SCHWARTZ, EDUARD. — *Gesamelte Schriften zur Geschichte der alten Kirche und ihres Rechts*. Vierter Band. Walter de Gruyter et CO., Berlin, pag. XII-344.

Longe nobilissimus inter Ecclesiae historicos est auctor hujus operis — voluminis quarti in corpore «Gesammelte Schriften» —. Nunc autem, post vicesimum mortis historiographi anniversarium, praecipua seliguntur scripta, quae a claro viro Waltherio Eltester sunt parata.

Propositum in argumentis disponendis

seligendisque, breviter in praefatione exponitur (pp. V-VII). Prima vero libri pars est de historia ecclesiastica quarti saeculi (*Zeitschr. f. d. neutest. Wissensch.* 34, 1935, S. 129-213). Altera pars est de Conciliis imperii a Theodosto ad Justinianum (*Zeitschr. d. Savigny-Stiftung f. Rechtsgesch.* 42, Abtlg. II, 1921, S. 208-253).

In tertia autem parte disserit auctor de canonum collectionibus, in pristina imperii Ecclesiae (*ebenda* 56, kan. Abtlg. 25, 1936, S. 1-114). In quarta denique, de re politica Ecclesiae Justiniani temporibus (*Sitzungsber. d. Bayer. Akad. d. Wiss., phil.-hist. Abtlg.*, 1940, H. 2, S. 32-81).

Tanquam operis culmen, non nulla adjunguntur paginae ad omnia scripta historici E. Schwarz expromenda, ab anno 1800 usque ad nostram aetatem qua opus editur.

I GONZALEZ, C. M. F.

H. CROON, JEAN. — *Encyclopédie de l'antiquité classique*. Editions Sequoia, Bruxelles 1962, p. 288.

Quintum hoc volumen in eo corpore «Références», cui in editione primigenia est titulus: «Elseviers Encyclopedie van de Antieke Wereld». Gallica editio exarata est a claris magistris L. Botté et M. Leeman.

Introductionis causa, praecipuae recensentur periodi antiquitatis classicae. Hinc apud Graecos: Periodus minoa (c. 1900-1400 a. Ch. n.), periodus mycenae (1400-1200 a. Ch. n.), media aetas hellenica (1200-800 a. Ch. n.), periodus archaica (c. 800-500 a. Ch. n.), periodus classica (c. 500-300 a. Ch. n.), periodus hellenistica (c. 300-30 a. Ch. n.). Huic vero periodo partim et periodus romana adscribenda (c. 150 a. Ch. n. ad 476 p. Ch. n.).

Inde apud Romanos: Regnum (c. 750-500 a. Ch. n.) Res publica (c. 500-31 [vel 27] a. Ch. n.) Imperium (31 [vel 27] a. Ch. n. ad 476 p. Ch. n.).

Ut plurimum religionis quaestiones omituntur; de paganorum autem religione vix historicus unus conspectus adhibetur; nam ea, quae ad phantasiam vel mythum referuntur, alta in encyclopaedia «Encyclopédie de la Mythologie» edita sunt.

E re nata, nihil auctores de antiquis christianis auctoribus egerunt. Quamquam il in Imperio romano nati, ipsorum tamen opera quasi superant antiquitatem propria ex mente consilioque; ex quo introductioni aetatis mediae quasi ansam dari senties.

A. MARQUÉS, C. M. F.

E. BAUDIFFIER, J. GASON, A. THOMAS. — *Initiation aux Lettres Latines*. Collection dirigée par R. Morisset. Classe de 6<sup>e</sup>. et de 5<sup>e</sup>. Magnard, 122, Boulevard Saint-Germain, Paris 6<sup>e</sup>. pag. 208/256

Hi duo primi libri ad linguam latinam discendam — quos alii deinceps sequentur — optimi sane sunt. In universo Cursu elaborando clarissimi Professores mutuam operam praestiterunt: E. Baudiffier, J. Gason, A. Thomas, qui omnes bene sunt meriti de litteris latinis in praestantissimis Lyceis.

Jam primo oculorum ictu opus admirationem movet, nam graphica et paedagogica et psychologica ars in eo mire copulantur; ac rationes omnium artium quasi colla lacertis innectere dicas. Hac scilicet docendi methodo, equis erit, qui latinis laetanter litteris non navet operam?

Lepide alumni in praefatione ad iter ineundum sermonis latini capiendi invitantur, neque magistro difficilius evadet eos agere ad propositi cumulum fastigiumque. Ordinata, commoda jucunda ratione procedit latina discipulorum institutio.

Morphologiae et syntaxeos studium a prima libri lectione scite aggredientur alumni. Singula horum librorum capita eadem procedunt via: thema seu narratio ad unam rem pertinens; quaestiones; vocabularium; declinatio vel conjugatio; notio syntaxeos; exercitationes conversionis et thematis, cum apposito vocabulario. Institutiones vero romanae hinc inde pictura sermoneque distinctae. Neque perquam jucundae desunt animi recreationes, musica arte non omissa. Maxime lectoribus hanc latinitatis methodum commendamus: his itineribus nos ire patiamur!; optimam enim — absolutamque dixeris — viam conscriptores plane invenerunt.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

*Euripides - Orestes - Iphigenie in Aulis - Die Maenaden*. Drei Tragoedien uebertragen und erlaeutert von ERNS BUSCHFR. C. H. Beck'sche Verlagsbuchhandlung, Muenchen, pag. 310.

Multae exstant versiones in linguam germanicam nobilissimorum vatum graecorum, a claro Professore E. Buschor comparatae. Eas inter edidit haec ipsa Editrix Domus: «Aischylos Die Perser, Die Orestie (507 Seiten); Die Danaostoechter, Prometheus, Thebanische Trilogie (216 Seiten); Sophokles — Antigone, Koenig Oidipus, Oidipus auf Colonos (304 Seiten); Aias, Die Maedchen von Trachis, Elektra, Philoktetes (357 Seiten); Euripides — Medea, Hippolytos, Herakles (254 Seiten); Die Troerinnen, Elektra, Iphigenie im Taurerlan (279 Seiten)».

Nuper autem nobilis graecorum vatum interpres E. Buschor convertit haec Euripidea dramata, quae tria sunt postrema, ut ipse arbitratur, eo quod nobis faciunt nota et ostracismum imminemtem et vitam peregrinam, et impendentem ipsius graeci auctoris mortem.

Uni cuique dramatum germanicae versioni utiles, eaeque eruditaе, praemittuntur notulae, explicationis instar, cum singulis eptologis de momento litterario, psychologico, mythologico euripidei monumenti.

A. MARQUÉS, C. M. F.

*Musaios. - Hero und Leander*. — Und die weiteren antiken Zeugnisse: gesammelt und uebersetzt von HANS FAERBER. Ernst Heimeran Verlag, Muenchen.

In scito libello, a praeclearo graecitatis Doctore H. Faerber apparato totam una expositam habes traditionem de nobili illo antiquitatis classicae Mytho, cujus praecipuae personae sunt Hero et Leander. Eum vero exaravit pristinus grammaticus et poeta Musaeus. Graecus hic textus convenit, ut plurimum, cum notioribus editionibus: A. LUDWICH, *Musaios Hero und Leander*, Lietzmanns kleine Texte 98, Berlin 1929, et E. MALCOVATI, *Museo Ero e Leandro*, Milano 1947.

Conversio germanica rem intellegibiliorem reddit, quae edacitate temporis ita obnubilatur. Amplior vero libri hujus pars testium



monumenta litteraria amplectitur. Fragmenta hic colliguntur quae nobis reliquerunt: Strabon, Vergilius-Horatius, Antipatros-Ovidius, Pomponius Mela, Lucanus Silius, Italicus-Statius, Martialis-Fronto Hyppolitos, Vespasianus-Sidonius-Fulgentius.

Denique, in appendice, non nulla disseruntur ab auctore de Musaeo ejusque opere, de argumento mythoquo, de libris ad Musaeum spectantibus, de textus natura et explicatione: quo quidem praecipuam de libro notionem lector percipiet.

PHILOPONUS, C. M. F.

CORPUS JURIS. — Eine Auswahl der Rechtsgrundsätze der Antike, uebersetzt und mit dem Urtext herausgegeben von Dr. Rudolf DUBL. In Ernst Heimeran Verlag, Muenchen.

Aliud volumen, in praestantissimo illo corpore quod «Tusculum-Buecherel» dicitur. Clarus Doctor R. Duell in unum redegit praecipuas Juris sententias pristinorum temporum romanorum et graecorum easque in germanicam linguam convertit. Ita monumenta disponuntur: I Generalis pars (pp. 11-50). II Jus publicum (pp. 51-92). III Jus civile (pp. 93-208). IV Jus tutelare (pp. 209-226). V Jus poenale (pp. 227-243).

Quod plane Dr. O. Palandt, vir in re juridica eminentissimus, asserit, selectio documentorum juridicorum est absoluta; textus graeci et latini, authentici genuinique; itque maxima pollent aptitudine ad mentes juris cultorum rite informandas.

Si quid mei est iudicii, scriptorum rerumque indice, voluminis quasi culmine, haec collectio juridica sententiarum magno opere «ad usum» alumnorum redditur utilis atque facilis: quasi exactor «unitatis» mihi quidem videtur index in ea varia auctorum rerumque abundantia

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

SARTORELLI, FAUSTO. — *Il pensiero Romano*. Angelo Signorelli, Roma 1961, pag. 97.

Hoc opus 97 paginarum viris humanitatis studiosis, qui antiquitatis classicae monumenta inquirunt, offertur. Philosophi eo-

rumque doctrina haberi possunt ut optimi humanitatis fautores cum verum quod in rebus inest, hauriant atque hominibus sive verbo sive scripto tradant.

Auctor hoc in libro explicationem probam affert doctrinae pristinorum philosophorum romanorum. Copiose de Ciceronis doctrina scribit, de ejus sententia circa doctrinam aliorum philosophorum, deque ejus probabilissimo gnoseologico. His omnibus perpensis, plane Ciceronem subtilem cogitandi auctorem iudicamus. Scriptor enim Sartorelli notiones seu rationes ejus positionis lucide exponit; praesertim vero operam dat ejus doctrinae de «politica» investigandae, quae Ciceroni est maxima scientia et sapientia, ipsa philosophia praestantior, eo quod homo socialis ortus sit

HAURY, A. — *Regulus, vel pueri soli sapunt* (*Le petit Prince*, A. de SAINT-EXUPÉRY), F. Hazan, 35 37 rue de Seine, Paris, VI, pag. 95.

Hanc fabellam, quae jam in viginti quinque linguis est conversa, nunc et latine legere possumus. Augustus Haury, in Universitate Burdigalensi Doctor onus suscepit librum qui *Le petit Prince* inscribitur, latine reddendi. Ex quo ut patet, viget latinitas. Viget utique in his pulcherrimis fabulis in latinum aptissime conversis. Ignorare enim nequimus quanta elegantia, quanta praesertim simplicitate sermo A. Haury sit ornatus.

Nihil de fabellae argumento dicendum cum jam omnibus sit notum.

Id tantum addere audeamus: nos qui latinitatis scholas jucundiores reddere volumus hanc fabulam sive huic similes vertendas atque legendas alumnis tradamus; quibus sermo latinus in dies vigeat atque florescat.

C. LATORRE, C. M. F.

CICERON. — *Caton l'ancien*, texte établi et traduit par PIERRE WUILLEUMIER, Les Belles Lettres, Paris 1961, pag. 139.

Jani pridem in *Palaestra Latina* multorum librorum hujus Corporis nuntium ac iudicium profertur. Iterum praeclearissima Conso-  
ciatio G. Budé, quae omnia haec opera sanctit,

et Societas Editionum «Les Belles Lettres» librum Ciceronis qui «Cato Major de Senectute» inscribitur, nobis praebent. Petrus Willeumler, qui opus hoc ediderat, nunc iterum emendatum ac recentioribus studiis et inventis aptatum evulgat.

Jam vero in hoc libro legendo haec notanda sunt: Introductio 69 paginarum, quam sequitur index editionum et commentariorum de Catone Majore. Deinde Textus criticus ab auctore statutus proponitur et in linguam gallicam convertitur.

Nomen et fama clmi. auctoris omnibus linguae latinae cultoribus nota est, qua certo hoc quoque volumine dignissimus est.

*Atti del I Congresso Internazionale di Studi Ciceroniani*, vol. I, II. C. S. C. Roma 1961.

Duobus his voluminibus, quae 809 paginis constant, orationes, opuscula eorum omnium colliguntur qui Conventui illi Internationali I.º de studiis Ciceronianis provehendis interfuerunt. Quantum sit operum et lucubrationum momentum ad Ciceronem penitus in dies cognoscendum ex indice voluminum perspicies:

*Attualità di Cicerone. I «Synonyma Ciceronis» Sulle fonti del «De officiis» di Cicerone. Concepto de «Adulescens» en Cicerón. Le caractère de Ciceron. De Cicerone religiosissimo homine. Les trois exils de Ciceron. Cicerón et les Juifs. Il ritratto di Cicerone. Su alcuni periodi ipotetici ciceroniani. «Invidia» nelle orazioni di Cicerone. Demosthenes und Cicero. De Cicerone poetarum Graecorum interprete...*

Coetum illum clarissimorum virorum, qui haec *Studia Ciceroniana* vulganda curavit ac prius congressum paraverat, et laudamus et in aggresso opere prosequendo vehementer hortamur.

C. LATORRE, C. M. F.

DENZINGER-SCHOENMETZER. — *Enchiridion Symbolorum. Definitionum et Declarationum de rebus fidei et morum* Herder, Barcinone, MCMLXIII, pag. XXXII-908.

Quod apud omnes sapientes notum est Enchiridion Symbolorum primum edidit Henricus Denzinger, de re magister longe praes-

tantissimus, qui et plures comparavit operis editiones, in melius et amplius semper re-dactas, ut volumen de summa fidei et morum in dies deveniret optimum et utilissimum.

Nostris vero diebus maxime in omnium erat votis nova editio aucta et retractata.

Jam vero, editio operis altera et tricesima (32a.) nuperrime, curante Domo Herder Barcinonensi, excusa est. Atque opus denzingerianum penitus retractavit, auxit, nullis ornavit clarissimus Professor Adolphus Schoenmetzer, S. I. Quae quidem superioribus editionibus praestat et textuum abundantia, et critica ratione, et relationum uberrate.

Nova addita sunt argumenta documentave maximi momenti dogmatici et doctrinalis. In primis ea addita sunt monumenta, quae necessaria aestimantur ad quaestiones elucidandas hodie perquam disputatas: de natura Episcopatus, de extensione potestatis ordinis in Sacerdote, de characterе Ecclesiae charismatice, de juribus hominis potissimis, de limitatione filiorum in matrimonio, cet.

Textus vero chronologico ordine dispositi sunt. Index systematicus et alphabeticus renovati et magno opere adaucti sunt. Immo novus index additus: Index «Initialium» omnium documentorum, quae memorantur in Enchiridio. Certo certius, omnes qui consulere assolent decreta magistrum ecclesiastici, plurimi facient hanc novam Enchiridii Symbolorum editionem.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

MORRIS, S. — *Carmina latina*, Centaur Books LTD, 284 Hight Street Slough Bucks, pag. 80.

Clarissimus vir Sydnestius Morris, in Universitate Birminghamiae Professor, in hoc opusculo edidit quam plurima cantica quae «popularia» habentur, quibus verba latina accommodavit tum pia tum festiva. Haec una tantum difficultas offenditur in cantilentis discendis, quod verba musicae signis non superponuntur. Opus tamen perutile ad latinas scholas dulci concentu subeundas. Musica enim tum Professori tum praesertim alumnis operam praestat ut libenter linguam difficilem sed pulchram tradere aut discere possint.

C. LATORRE, C. M. F.



SCHOLARES LINGUAE LATINAE COMMENTARII

Scripta mittantur ad Moderatorem: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca)

Preterea ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Ap. 1042 - BARCELONA - 10

Constat in Hispania et America Hispanica: 25 pesetas; in Gallia: 3 50 francis; in Italia: 350 libellis; in Germania: 2'5 marci; in reliquis civitatibus: 0'80 dollaris.

ANN. IX — (FASC. II) — N. 34

M. JUNIO

A. MCMLXIII

## Ad ferias eamus Sti. Firmini

Adfui quondam cursui taurorum —semperque illius memini agitationis— cum feriae Sancti Firmini agerentur annuae. Urbs tota Pampelo festiva ardebat quia illud spectaculum «taurorum *conclusio*» appropinquabat.

Vias et locos, qua tauri erant transituri quique ad plateam ducebant, multitudine ingenti replebantur. Praefectus civitatis —hora septimo ante meridiem— manuballistulā signum dedit; statimque sex cornigeri robusti, immanes, adspectu terribiles, qui juvenes apte persequerentur, e stabulo exierunt. Multitudo, quae locos prope vias urbanas replebat, et tauros et juvenes magnis plausibus et clamoribus accipit.

Adolescentes vero alii clamores edebant, alii citatissime currebant; hic a tauris capitur, ille post valli ligna absconditur. Pulcherrimum sane spectaculum! Quam animi permotionem gignit! Qui clamores! Ecce jam in aream pervenimus. Adversus nos suggestus, ubi praeses sedet et qui cursus moderantur, panditur.

Ego, sociis comitantibus, ad spectandum tauriludium assedi. Adolescentibus in arenam ingredientibus et taurariis, omnes caveae gradus plausibus reboant...

Postea taurarii nonnulli multitudini magnam delectationem praebent et oblectamentum. Quanta arte et industria tauros eludebant... Adolescentes tandem ex area exierunt.

Omnes ergo ad Sancti Firmini ferias eamus ut hoc tam pulcherrimo spectaculo frui possimus.

*Bernardinus Marín et Clemens Vindel*  
latinitatis alumni

# TRES LATRONES, TRES PETASI

Erant quondam tres senes notissimi iidemque latrones callidissimi; qui cum et dira furta et miras largitiones inter populares fecissent, rex eos in vincula coniecit ac, sententia lata, morte damnandos esse statuit; qui tamen ab aliis capite plecti ab aliis libertate donari postulabantur.

Interim cum filiae regis dies nuptiarum adveniret, rex, advocato custodiae praefecto, volens gratiam facere populo, sumpsit quinque petasos et in carcerem descendit.

Jubet rex vincula relaxari tresque reos stupefactos his verbis alloquitur:

—Volo vobis, magnanimitate ductus expertusque ingenii vestri acumen, occasionem dare a vinculis atque a morte demum evadendi.

Latrones arrectis auribus haec verba hauriebant, simulque praefectus et custodes quid dominus facturum esset spectabant.

—Quinque hunc petasos, inquit, de-

ferre videtis, tres albos, duos nigros Ego vos eis operiri jubebo. Eosque vestrum, qui sciant quo colore caput suum tectum sit, liberos e custodia dimittam.

Quo condicione ab omnibus percepta, jussit eos aliquo spatio segregatos, ante alium stantes, ordine ab ipso rege constituto, collocari.

Quo facto jussit tribus custodibus latrones, qui caput moverent aut respicere auderent, statim jugulare. Tunc rex ab ultimo, qui capita duorum aspiceret poterat, incipiens, petasos in cujusque capite, de industria colore delecto, apte disposuit. Quo pacto latrones, petaso tecti, cujus coloris esset petasus suus videre nequibant; ultimus vero duos ante se prae oculis quidem habebat; primus tamen nec suus nec aliorum videbat.

Illam noctem silentio omnes transigere jussi sunt; quid vero regi responderent acri suo ingenio studiose meditabantur.

## TRIANGULUS MAGICUS

	1	2	3	4	5	6	7
1							
2							
3							
4							
5							
6							
7							

## SOLUTIONES

1) Flumen  
Tarraconensis  
Provinciae

2) Dilligeris

3) Freta

4) Altaria  
(dat.)

5) Alta litterarum dispositio  
furorem significat

6) Pronomen

7) Consonans

Cfr. PAL. ADULESCENTIUM  
(m. martio, a. MCMLXIII)

Ad saltum equi (p. 63):

O barbarum spectaculum!

Illisa cervix cautibus

Spargit cerebrum lacteum

Oculosque per vulnus vomit (*Prudentius*).

Triangulus Magicus (p. 64):

America

Medica

Edico

Rica

Ico

Ca

A

Postridie, rex priusquam se in carcerem committeret, mandata ab omnibus esse servata rescivit. Statim arcesso praefecto, eoque comitatus carcerem ingressus, eum accedere iussit qui longius a muro stabat aliosque petaso ornatos ante se videbat, eumque interrogavit:



—Cujus coloris petasus est quem induis? Qui

—«Nescio», inquit.

Iterum ad illum qui medium inter tres locum tenebat:

—Petaso cujusnam coloris caput tuum cooperitur? Qui etiam

—«Nescio», inquit.

Denique ad eum qui nihil ante se nisi murum videbat:

—Quali petaso tegeris?

Qui statim respondit se eum petasum gestare quem vere gestabat. Iterum rex inquisivit:

—Quo indicio fultus scire potes talem esse colorem tui petasi?

Ille autem ita regi respondit ut rex plane intellegeret latronem certo scire qualis esset petasi color. Hic latro libertate auctus, probus in posterum fuisse fertur.

*Nunc qui haec legis, si in latronis loco esses, quod responsum regi dares?*

EULOGIUS TEJERINA, C. M. F.

Salmanticae

## D I O G E N E S

Diogenes sectae Cynicae studiosissimus, divitias sprevit. Mendicavit paucissimo contentus. Pro casa dolio utebatur. Ad aquam hauriendam cucurbitam cavam adhibebat. Sed cum quempiam aquam manu haurientem vidisset, cucurbitam adjecit. Nomen ejus in omnium ore. Aliquando Alexander Magnus eum invisit et interrogavit, num qua re indigeret. «Nil, inquit, nisi ut parum e sole recedas». Publice in via prandebat. Ejus rei novitas cum multos ad eum spectandum adduxisset iidemque identidem acclamassent: «Canis, canis»; par rettulit: «Vos estis canes, qui me prandentem circumstatis». Aliquando clara luce cum lanterna accensa in forum venit. Attonitus quidam ex eo quaesivit: «Quid quaeris? — «Quaero homines».

N. MANGEOT

# HANNIBAL ROMANORUM



1. Fama est Hannibalem an-  
 norum ferme novem, pueriliter  
 patri Hamilcari blandientem ut  
 duceretur in Hispaniam, cum,  
 perfecto Africo bello, exercitum  
 eo trajecturus sacrificaret, altari-  
 bus admotum, tactis sacris, jure  
 jurando esse coactum se, cum  
 primum posset, hostem fore po-  
 pulo romano.

2. Hasdrubale vita functo,  
 qui Hamilcari, Hannibalis patri,  
 successerat in imperio Poeno-  
 rumque exercitui praeerat, missus  
 Hannibal in Hispaniam, primo  
 statim adventu omnem exerci-  
 tum in se convertit.

3. Hamilcarem juvenem red-  
 ditum sibi veteres milites crede-  
 bant; eundem vigorem in vultu  
 vimque in oculis lineamenta-  
 que intuebantur. Dein brevi effecit  
 ut memoria patris in se minimum  
 momentum ad favorem concili-  
 andum esset.

4. Nunquam ingenium idem  
 ad res diversissimas, parendum  
 atque imperandum, habilis fuit  
 Itaque haud facile discerneres  
 utrum imperatori an exercitui  
 carior esset; neque Hasdrubal  
 alium quemquam praeficere ma-  
 lebat, ubi quid fortiter ac stre-  
 nue agendum esset, neque mi-  
 lites alio duce plus confidebant  
 aut auebant.

# INFESTISSIMUS HOSTIS

5. Plurimum audaciae ad pericula capessenda, plurimum consilii inter ipsa pericula erat. Nullo labore aut corpus fatigari aut animus vinci poterat. Caloris ac frigoris patientia par: cibi portionisque desiderio naturali, non voluptati parebat.

6. Vigiliarum somnique nec die nec nocte discriminata tempora; id quod gerendis rebus superesset Hannibal quieti dabat. Multi saepe militari sagulo operum humi jacentem inter custodias stationesque militum conspexerunt.

7. Vestitus nihil inter aequales excellens; arma atque equi conspiciebantur. Equitum pedumque idem longe primus erat; princeps in proelium ibat, ultimus conserto proelio excedebat.

8. Ceterum, ex quo die dux est declaratus, velut Italiam ei provincia decreta bellumque romanum mandatum esset, nihil prolatandum ratus, ne se quoque, ut patrem Hamilcarem deinde Hasdrubalem, cunctantem casus aliquis opprimeret, Saguntinis inferre bellum statuit.



## OBLECTAMENTA

Maximum est mihi oblectamentum carmina componere latina... lyramque sub «arborum» tegmine recubans dulciter percutere, nam poësis animi sensus conformat.

CLEMENS VINDEL

Me valde delectat et allicit numeros illos, qui vulgo «canones» dicuntur multis sociis comitantibus canere.

JESUS VERA

...Pisces capere aestatis tempore: hoc est maximum oblectamentum meum, quod me maxime allicit. Arundinem habeo, hamos etiam habeo et vermiculos.

M. VICENTE

Quod me valde juvat est artem musicam tractare, praesertim vero tibiis canere et clavichordio discere. Cum etiam vocem habeam gravem aliquando mihi perplacet cantare.

JOSEPHUS LLAMAS

## AD FLUMEN

- Viginti solve pesetas quod, injussu meo, piscaris.
- Ignoscas mihi, quaeso, vermiculum lavabam ..
- Quinquaginta ergo mihi solve pesetas quod eum sine subligaculo natatorio (*traje de baño*) in flumine lavas.





A. PÉREZ

## SIMULACRUM APPARET

Erat Athenis domus spatiosa, sed infamis. Noctu enim sonus ferri et strepitus vinculorum audiebantur. Apparebat simulacrum: senex macie et squalore confectus, barba promissa, capillis horridis, manibus catenas gerebat et quatiebat. Quare incolae multum terrebantur et noctes ducebant insomnes; quin etiam interdum memoria imaginis tristis oculis inhaerebat. Quid facerent? Deserebant domum et Athenodoro philosopho parvo vendebant pretio; sed eum de simulacro faciebant certiore. Nihilominus domum emebat spreto periculo. Ubi adesperavit, sibi in prima domus parte sterni jubet, poscit pugillarem, stilum, lumen. Intendit animum et oculos ne inanes sibi fingat metus. Atque initio cuncta quiescunt. Deinde vinculorum clangor crepitat. Ille tollit oculos, acriter auscultat. Jam in limine, jam intra clangor auditur. Respicit, spectat agnoscitque narratum sibi simulacrum. Stat immotum, innuit digito vocanti simile. Ille manu significat ut expectet. Sumit in manum lumen et stilum. Iterum innuit simulacrum. Intellegit ille. Lento gradu incedit species, vinculis gravis. Jam in domus aream devenit et repente comitem sequentem deserit. Postridie philosophus magistratum adit et postulat, ut area effodiatur. Quid putas magistratum invenisse? Invenit ossa catenis inserta, nuda et exesa. Collecta ossa publice sunt sepulta et domus illa infamis simulacro caruit.

N. MANGEOT

## AD SALTUM EQUI

NE	LU	CONS	BE	SU	
QUEM	BIT	TI	SE	CI	HA
CRA	QUIS	QUID	A	LIC	I
QUAM	LI	TET		NOM	UM
PU	RI	SI	DE		

A. M. ANDRÉS, C M F.



## DE LUPI ET AGNI AMICITIA

Lupus pullus amicitiam cum agnello olim instituerat. Spissa silva atque procera, quo ad ludendum atque facinora sua narranda cotidie conveniebant, inter duorum amicorum domus aequae distabat. Quondam lupi parentes, quibus nomina erant Elobaphus et Elobapha, de filio suo Elobaphello jure suspicati sunt.

—«Quo multo mane iter cotidie facis?»

—«Ut meum amicum, inquit, Agnum nomine, quo familiariter utor, videam...».

—«Stultus revera, lupe noster, es tu; majores enim tui, et avus et ego, ut scis, agnis semper viximus; tu vero timidus, eos amicissimos habes... Cras amicus tuus Agnus, tibi cibo erit. Audis, agnelle, noster, audis?»

Forte eadem hora Agnicellus a parentibus vocatus consilium idem ab illis acceperat. Itaque agnello pater:

—«Filiole, inquit, majores nostri et avus et nos etiam lupos semper necavimus. Similiter ergo et tu facere debes».

Postridie, Elobaphellus, ut mos illi erat, ad quaerendum amicum in silvam profectus est. Quem cum non invenisset assueto loco, agnelli domum petivit.

Agnellus vero, cum eum venire vidit, domus suae portam clausit ac per fenestram aspiciens parumper prodiens:

—«Si parentes, inquit, tui non tibi id suaeserunt hoc mei monuerunt...».

Quare lupus in domum suam per silvam tristis, capite demisso rediit.

GREGORIUS NDONGO, *Guineensis*  
e V latinitatis cursu

## OBLECTAMENTA

Ludere per plateam *fer-ratis* quas nuper emi-  
*solets* («patines») gratissimum  
est mihi oblectamentum.

JOANNES CASALS

Mihi admodum musica et  
cantus placet quia vocem  
habeo suavissimam et... poe-  
nas tristitiamque ex corde  
tollit.

EMMANUEL SIMON

Mihi maxime arridit et  
placet animum in vallibus et  
agris relaxare purumque spi-  
ritum haurire.

JOSEPHUS LLADÓ

Maximum mihi est oblec-  
tamentum aestatis tempore  
natate quamvis via, quae ad  
flumen Cingam ducit, sit per-  
longa.

MARTIALIS CASAJÚS

Mihi oblectamentum est  
plagis cuniculos capere.  
Quare per montes vallesque  
cuniculos leporesque exer-  
ceo.

M. RABERT

## ASINULA AEGRE LABORAT

M. Molina latine aptavit.

A - si nu la, A - si nu la nunc capite la-  
 borat et medicus commendat petasunculum  
 nigrum PETASUNCULUM NIGRUM, pulchellos calce-  
 os, pulchellos calce - os.

N. B. Eisdem notulis atque «PETASUNCULUM NIGRUM» canendum est quod in sequentibus strophis, ita ut strophae finali omnia quae in superioribus dicta sint, comprehendantur.

1 Asinula, asinula nunc capite laborat et medicus commendat PETASUNCULUM NIGRUM, petasunculum nigrum, pulchellos calceos, pulchellos calceos.

2 Asinula, asinula nunc faucibus laborat et medicus commennat CANDIDULUM FOCALÉ, candidulum focale, petasunculum nigrum, pulchellos calceos, pulchellos calceos.

3. Asinula, asinula nunc pectore laborat et medicus commendat PASTILLOS SAPONATOS, pastillos saponatos, candidulum focale, petasunculum nigrum, pulchellos calceos, pulchellos calceos.

4. Asinula, asinula nunc renibus laborat et medicus commendat CALEFACIAT LECTUM, calefaciat lectum, pastillos saponatos, candidulum focale, petasunculum nigrum, pulchellos calceos, pulchellos calceos.

5. Asinula, asinula nunc unguibus laborat et medicus commendat UT BREVI PONAT UNGUES, ut brevi ponat ungues, calefaciat lectum, pastillos saponatos, candidulum focale, petasunculum nigrum, pulchellos calceos, pulchellos calceos.

6. Asinula, asinula nunc dentibus laborat et medicus commendat UT ANISATUM POTET, ut anisatum potet, ut brevi ponat, ungues, calefaciat lectum, pastillos saponatos candidulum focale, petasunculum nigrum, pulchellos calceos, pulchellos calceos.

7. Asinula, asinula nihil plane laborat et medicus commendat E LECTO CITO SURGAT, e lecto cito surgat, ut anisatum potet, ut brevi ponat ungues, calefaciat lectum, pastillos saponatos, candidulum focale, petasunculum nigrum, pulchellos calceos, pulchellos calceos.

**Vetula illa.** — Cum curionis adjutor nuper in vicum venisset, curio misit ad eum vetulam, quae molestias continenter scrupulis suis afferebat, si posset eam forte mederi. — «Quid tibi accidit?, ab ea quaesivit. — «A, Pater! continuo cogito in inferos me adituram». — «Videamus, probe os aperi». Timide sed simpliciter vetula oboedivit. Tunc subridens curionis adjutor: — «Liquet te in inferos adire non posse, ubi «stridor dentium est», cum ne unum quidem habeas.

Quo vetula tranquilla profecta est.

Aloisius Marcet.

# BIBLIOGRAPHIA

G. FASOLI et G. B. PIGHI. — *Il privilegio teodosiano*. Università degli Studi, Bologna 1961.

Textus et commentarium philologicum illius Privilegii urbi Bononiensi ab imperatore Theodosio dati hoc opusculo continentur. Hoc Privilegio Bononiae Studiorum Universitas instituebatur varisque moderabatur normis.

A. TOVAR. — *Papeletas de geografía turdetana*, Murcia 1961-1962

Notulae quaedam topographicae de «El Santuario del Lucero, Eborra, Portus Menesthei, Mergablum».

*Certamen Capitolinum XIII*, a. MDMCCCCLXII I. S. R., Roma.

«De Herculanensibus rebus diebusque novissimis», «Brevis in Lacu Lario mansio»: en duo opera quibus scriptores victoriam reportarunt in Certamine Capitolino XIII. In primo extrema tempora Herculani narrantur, et modus in hac urbe vivendi christianorum; in altero vero de vita agitur domini Abundi, sacerdotis; opus sane plenum ingenii et humanitatis.

P. ANDREAS HABERL, S. V. D. — *Musica et Ethos*, Joseph Habel, Ratisbona.

«De cultu et cultura. De cantu animarumque cura. Promemoria et votum».

Occasione data sacri Concilii Oecumenici Vaticani II votum de musica religiosa atque de actuosa populi cantantis participatione in Mysteriis.

G. B. PIGHI. — *L'opea filologica di Gino Funaloli*, Cooperativa Tipografica Azzoguidi, Bologna 1960.

Cum mortuus esset H. Funaloli clarus

Professor J. B. Pighi ejus vitam memorat et de praeclari magistri opere philologico commentarium habet in Academia Bononiensi Scientiarum.

STOLZ GREGORIUS. — *Latinum per quaestunculas et per soliloquia*, Novi-Eboraei 1962.

Jam pridem fasciculus eodem titulo ejusdemque auctoris vulgo editus est. Hodie iterum offertur fasciculus eadem ratione confectus aliis vero quaestunculis, quarum praecipuae sunt: «formulae interrogandi, de asino pelle leonis induto, epistolam scribo, surrectio matutina».

F. GIANCOTTI. — *Lucrezio poeta epicureo — rettificazioni*. Tipografia Dr. G. Bardi, Roma. 1961.

F. Giancotti non nullas sententias, quas Professor H. Paratore in libro «Antologia su Lucrezio» profert, notat atque emendat. Et probat quid de aliquibus quaestionibus quae in Lucrezio interpretando inventuntur sentiendum sit, uti in priore libro tradiderat.

CAROLUS LATORRE, C. M. F.

PFAB, JOSEPH. — *Manual de Rúbricas*. Editorial Herder, Barcelona 1962, pag. 324.

Hic liber in lucem anno 1962 editur, ubi Concilium Oecumenicum Vaticanum II initium cepit; quibusdam forsitan inutile nunc videbitur rerum liturgicarum compendium conscribere. Tamen Officina Libraria Herder hoc volumen vulgavit quo omnia ad liturgiam pertinentia documenta atque novissima decreta continentur. Opus sane perfectum pulcherrime typis excusum atque rerum indice auctum quod sacerdotibus atque Seminariorum alumnis valde commendatur.

C. L.

## Libri in sede PALAESTRAE LATINAE accepti, quorum iudicium propediem evulgabitur

- Místicos Franciscanos.* — Camino abreviado del Amor Divino - Ed. Hsrder, Barcelona 1961.
- Orazio.* — Odi ed Iepodi, Vittorio Bonacci, Roma 1960.
- Jérez Hipólito, S. J.* — El Educador de un imperio, Sal Terrae, Santander, 1960.
- Bardon Henry.* — Il genio latino, Dell'Ateneo, Roma, 1961.
- Alonso Dámaso.* — La lengua poética de Góngora, Madrid 1961, Rev. Fil. Esp.
- Broccia Giuseppe.* — Critica stilistica e filologia, Il Centro librario, Sapri 1861.
- Ullmann Stephen.* — L'image littéraire, Université de Liège 1961.
- Brugioni Benedetto.* — De vertice lumen, S. Ed. Internazionale, Torino 1961.
- L. Dupont.* — De l'analyse grammaticale a l'analyse litteraire, Marcel Didier, Bruxelles 1962.
- Graneri Lino.* — Estetica pura, Ed. Nerio, Bari 1962.
- Herder.* — Catecismo Junior, Barcelona 1962.
- Fargues Marie.* — Tests Colectivos del Catecismo, Herder, Barcelona 1961.
- Bouyer Louis.* — El sentido de la vida sacerdotal, Herder, Barcelona 1962.
- Schöllgen Werner.* — Problemas morales de nuestro tiempo, Herder, Barcelona 1962.
- Firkel Eva.* — La mujer plenitud y entrega, Herder, Barcelona 1962.
- Hegen Klaus.* — Baltasar Gracián, Estilo y doctrina, Librería General, Zaragoza 1960.
- E. Correa Calderón.* — Baltasar Gracián, su vida y su obra, Gredos, Madrid, 1961.
- Zamora Vicente Alonso.* — Lope de Vega, Gredos, Madrid 1961.
- Greco Felice.* — La pedagogia presso i romani, Ponte Nuovo, Bologna, 1961.
- M. Gigante, A. Presta.* — Pan, Antologia della letteratura greca, vol. I, L'età ionica, G. D'Anna, Mesina - Firenze 1961.
- Del Estal Gabriel.* — La «Orestíada» y su genio jurídico, El Escorial 1962.
- Pernoud Jean.* — Annibal, Julliard, Paris 1962.
- Berguin Henri.* — Langue latine, A. Hatier, Paris 1961.
- Most, Coulombe.* — Le latin vivant par la méthode naturelle, Les presses de l'Université Laval, Québec 1961. (Guide de professeur). — 1961 (Première année). — 1962 (Deuxième année).
- J. S. Lasso de la Vega.* — Héroe griego y santo cristiano, Universidad de la Laguna, Madrid 1962.
- Euripide.* — Ifigenia in Aulide, S. Ed. Dante Alighieri, Milano 1962.
- Devoto Giacomo.* — Nuovi studi di stilistica, Felice le Monnier, Firenze 1962.
- A. Rousseau, Liessens.* — Géographie de l'Odyssée — I Les récits, Brepots, Bruxelles 1962.
- Certamen Capitolinum XII, Roma 1961.
- Cupaiuolo Fabio.* — Guida a tradurne in lingua latina, Felice le Monnier, Firenze 1962.
- F. Trisoglio.* — Ellade cristiana, S. E. I., Torino 1962.
- Pörtner Rudolf.* — Civiltà romana in Europa, Garzanti 1962.
- Paoli Hugo H.* — Versus diabolici alique lusus, Le Monnier, Florentiae 1962.
- A. Springhetti.* — Lexicon linguisticae et philologiae, apud Pontificiam Universitatem Gregorianam, Roma 1962.
- Card. Antonio Bacci.* — Vocabolario Italiano-Latino, Editrice Studium, Roma.
- L. Sesti.* — Storia d'Italia. Marzorati Editore, Milano.
- A. Freire.* — Selecta Latina, Livraria Apostolado da Imprensa, Porto.
- Heinz Häfner.* — Vivencia de la culpa y conciencia, Ed. Herder, Barcelona.
- Augusto Serafini.* — Virgilio, Società Editrice Internazionale, Torino.